This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



41.
1062.
600032610l

DE

PENTATEVCHI

VERSIONE ALEXANDRINA

LIBRI TRES.

SCRIPSIT

HENR. GVIL. JOS. THIERSCHIUS

PHIL. DR., THEOL. LIC.

ERLANGAE

APUD THEOD. BLAESING

MDCCCXLI.

1062.

.200

FRIDERICO THIERSCHIO

PATRI

D. D. D.

HENRICVS FILIVS.

PRAEFATIO.

Habes, lector, opusculum de ea re elaboratum, quam pauci hodie curant, plurimi ne curandam quidem a quopiam judicant. Quem laborem, improbum et mihi non raro visum, quo animo olim susceperim, quemque inde fructum praecipuum mihi perceperim, lib. I. pag. 24. significavi. Id quoque satis mihi fuerit, si quid libro II. ac III. ad orationem Novi Testamenti recte aestimandam et explicandam conferre potui. Poteram lib. III. Novi Test. locos multos citare, sed ea quae ad rem pertinebant, utenda prudentibus, proposuisse satis habui. Ab auctorum citatione frequenti superflua non minus quam a con-

cludendi et conjectandi et asseverandi temeritate ubique cavi; a me indagata proferre malui. Excusatione egent quae in prolegomenorum inque libri I. fine scripsi. Dissertationes eae fuerunt antea separatae, quibus ejusmodi clausulae conveniebant, nunc ubi totum opusculum prodiit, resecandae.

Conspectus.

PROLEGOMENORUM, (historicorum) conspectum vide pag. 20.

LIBRO I., qui est criticus, *leges* monstrantur, quas *oi ó* in vertendo Pentat. observarunt. pag. 21—64.

§. 1. Quam diversum a diversis pretium textui Hebr. V. T. ejusque versioni Alex. statuatur. §. 2. Nos jam obss. de legibus, quas LXX interpretes in vertendo Pent. secuti sunt, proposituri, quae ad solvendas illas quaestiones faciant. §. 3. Discrepantiarum Hebr. et Graeci textus genus I. positum in singulis vocabulis, idque iis praecipue locis obvium, qui difficultate aliqua laborabant. §. 4. In quibus, sicut ubique, ei interpretum officio satisfacere student, ut assequantur *perspicuitatem*. §. 5. Eam igitur sectantur, dum e nominibus propriis populorum, locorum, hominum alia exprimunt Graece, alia Aegyptiace, §. 6. alia vero secundum pronuntiationem Judaeorum Alexandrinorum vulgarem (e quibus pauca reddunt declinabilia); §. 7. aliorum denique scite reddunt rationem etymologicam, substituentes, ut omnino adamant, Graeca nomina loco Hebraicorum; §. 8. quem in modum etiam mensurarum et ponderum vocabula vertunt. §. 9. Unum ex his sibique constans auctorum totius versionis studium elucet, quum indidem HUMPHR. HODIVS diversos fuisse interpretes diversamque eorum in vertendo methodum elicere perverse conatus sit. §. 10. Denique non tantum justo modo perspicuitatem sectati sunt LXX, sed nonnunquam, si quos locos ne intellexerant quidem, magna cum audacia. § 11. Atque adeo in his, quae probe intellexerant, eam passim sibi sumunt licentiam, ut, quae *κατ' ἄνθρωπον* de DEO dicta quaeque eo minus digna viderentur, violenter commutarent, et quae atrociora perhiberent, consulto mitigarent. §. 12. Porro Alexandrinae philosophiae peculiaria dogmata nonnulla textui sacro obtrudunt, qua de re DAEHNIUS exposuit; quem in eo, quod etiam Adamum, Evam, serpentem cett. allegorice interpretatos esse perhibet, errare prolixe demonstratur. §. 13. Discrepantiarum Hebr. et Graeci textus genus II., in additamentis *τῶν ó* positum, quae locos similes prorsus exaequant textumque sibi conformem reddunt. Ea igitur unde orta sint, disputatur; et quum pleraque etiam in Samaritanorum Pentat. reperiantur, ea in codice illo Hebr. fuisse conjiciendum, e quo Alex. versio facta. §. 14. Quae conjectura confirmatur e methodo *τῶν ó*, qui *μονοτονίαν* vitant, *variationi* student, quum additamenta illa *μονοτονίαν* creent, varietatem evitent. §. 15. E quo evincitur, temere a Plüschkio mutationes textus Hebr. e Graeco tentari. §. 16. Praeterea *elegantiae* Graecitatis operam dant, ita ut tropos duriores fugiant, leporem vero orationis et poeticas dictiones

imitentur, §. 17. denique stylum suum diversis operis partibus accommodent, quotidiani autem sermonis formulas complures modo Graecis peculiari exprimant.

LIBRO II. exponitur de *dialecto*, qua οἱ ὁ ad transferendum Pentat. usi sunt. pag. 65 — 110.

§. 1. A. Oratione utuntur ea, qua textus fiat perspicuus lectori Alexandrino; §. 2. non Attica; SCHWARTZII obss. de stylo LXX Intt. §. 3. Auctt. de oratione N.T. et τῶν ὁ SALMASIUS; STURZ., H. PLANCK., WINER. §. 4. Hellenisticae et Ecclesiasticae dial. nomina. §. 5. Ἡ κοινὴ duplici sensu dicta. Ἑλληνικὴς nomen. §. 6. Ad PLANCKII comm. de oratione N. T. ἐπίκρισις. Dial. Macedonica et Alexandrina. §. 7. οἱ ὁ revera τῶν κοινῶν iique τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν τοπικῷ χαρακτῆρι utentes. B. *Indicia:* §. 8. I. Vocabb. Aegyptiaca; res Aegyptiacae, Alexandrinae. §. 9. Vocabb. novam significat. adepta, alia recens formata; compluria ab Atticistis reprobata. §. 10. II. Orthographia edit. Sixtinae; codicis Alex., deque ea judicia Grabii, Hugii, LACHMANNI in ed. N. T.; Cod. Psalmor. Graeci Turicensis descriptio. §. 11. Voluminum Herculanens. et papyrorum Graec. auctoritas. §. 12. III. Idiomata grammatica in formis nominum et verborum. §. 13. Syntaxis Graecae l. τοῖς ὁ optime cognita. §. 14. Idiomm. syntactica in usu artic., pronom., verbb. causativorum, tempp. et modorum; §. 15. in construct. verborum cum obj., in genit. absol., in attract. relativi, in usu praeposs., conjunctt., negationum.

LIBRO III. *Hebraismi*, in versione Pentat. Alex. admissi. pag. 111 — 188.

§. 1. Sermo Graecus indole sua ab Hebr. diversus, novo charactere tunc imbuendus; multa utriusque linguae communia. Inde Hebraismi alii perfecti, alii imperfecti. §. 2. I. Idiomata nova cum in aliis versionibus tum in Bibliorum omni translat. admittendi. Hebraismi τῶν ὁ in Pent. lexicales, positi in notionibus theolog., in aliis vocabb. et prasibus. §. 3. II. Hebraismi syntactici: in usu articuli; §. 4. Pronominum; §. 5. Nomin.; §. 6. Genit.; §. 7. Dat.; §. 8. Accus. §. 9. Conjugg. verbi Hebr. a nostris V modis expressae. §. 10. Praeterita raris cum Hebraismis. §. 11. In futuris VI fere Hebraismorum species. Vav consecut. recte intellectum; particc. Hebr. non male expressa. §. 12. Infinit. absol., verbo suo finito appositum, Graece exprimendi triplex ratio; ἰδὼν εἶδον cett. Graecis insolita. Infinit. cum τοῦ, cum praepp.; προσθεῖναι. §. 13. ἤ, ὑπὲρ, παρὰ ap. positivum appositae; εἰ in jurando; οὐ — πᾶς, οὐχ — εἷς. §. 14. Parataxis enunciationum; καὶ ubi Vav; καὶ i. q. ἵνα, καὶ οὐ i. q. ἵνα μή. Περίοδος ἀνακόλουθος permixta parataxi et syntaxi, καὶ et ἵνα cett. §. 15. Repetitio; praes. histor.; orat. indirecta.

§. 1.

Affatim nota est Aristeae ista de Lege a LXXII Interpretibus in Graecum sermonem conversa historia, a Philone primo obscurius indicata, a Josepho prolixe enarrata, Patribus Ecclesiae plerisque recepta, ab iisdem ad omnes omnino Veteris Testamenti libros relata atque adeo (Justino Martyre praecunte) adaucta Judaeorum commento de Interpretibus per cellulas separatis et versione divinitus inspirata. Talis traditio quum ab Eusebio esset repetita, ab Epiphanio etiam amplius exornata: primus Hieronymus (nam de Origenis opinione non satis constat) inspirationis fidem diserte negavit; de Aristeae veritate non dubitavit. Atque Aristeana historia per saecula, quae sequebantur, in Ecclesia Occidentali atque ad hunc usque diem in Graeca Ecclesia tacite est tolerata. Quae quum et ipsa a Ludovico Vives et Josephio Scaligero in dubio posita esset, atque ab Humphredo Hodio theologo Anglo CL abhinc annis victricibus armis impugnata, ab Isaaco Vossio frustra defensa: ineunte saeculo XVIII eruditorum magno consensu etiam Romanensium *) repudiata fidem historicam amisit. Jam-

*) E. g. Valesii, Rich. Simonii, Eliae Dupin, Montefalconii, Aug. Calmeti. Inter eos, qui ab altera parte steterunt, Bonfrerius praeloquiis ad „Pentateuchum Moy-

que videbatur locus esse, de origine et indole versionis Alexandrinae et de singulis ejus partibus inquirendi. Atque Hieronymus Stridonensis, qui primus cellularum LXX vel XXXVI et versionum miro modo congruentium historiam mendacii arguit (prologo in Genesim), idem „Eruditi, inquit (comm. in Ezech. XVI, 13) solos V libros Mosis a LXX illis interpretatos esse putant," eamque et ipsius Aristeae et Josephi et totius Hebraeorum scholae sententiam esse (in Ezech. V) contendit. Qua in re theologos recentioris aetatis ita habuit consentientes, ut Pentateuchi versionem et antiquiorem et praestantiorem ceteris (quales nunc supersunt) omnibus judicarent.

§. 2.

Ad *Pentateuchum* igitur controversiae criticae et historicae inde ab Humphredi Hodii aetate magna ex parte redierunt, certantibus adhuc viris doctis, quo is tempore, quibus auctoribus, cujus jussu, quo consilio in linguam Graecam translatus esset. Namque disputandi materiam nonnullam certe posteris reliquit admirabilis Hodii doctrina (quamquam a nemine eorum, qui post eum in hac arena desuda-

---

sis commentario illustratum" (Antverp. 1625 fol.) non solum historiam Aristeanam agnoscit, sed etiam inspiratam versionem Alexandrinam contendit. In commentario docto et egregio τοὺς ὁ frequenter optime illustrat. — Novum posthac Aristeae patrocinium suscepit Simeon de Magistris in editione „Danielis secundum LXX", Romae 1772 fol.

runt, videtur esse superata) quum vir magnus eversis erronearum opinionum propugnaculis adversariorum errores non ita vitaverit, quin ipse, ut fieri solet in disceptationibus humanis, altera ex parte ultra limites veritatis processerit. Sane cum Hodio non solum isagogicorum scriptorum turba sed etiam (qui integro saeculo post ipsum scripsit) Fr. G. Sturzius (*de dialecto Maced. et Alexandrina* 1808, §. 1) paene prorsus consensit. Interim magnus Valckenarius (in *diatribe de Aristobulo Judaeo*, demum a. 1806, XXIII post auctoris mortem annis a Joh. Luzac edita) incomparabili doctrina sua tantis harum rerum tenebris novae aliquid lucis attulit. Namque de Aristobulo, omnium, qui versionis Alexandrinae mentionem fecere, antiquissimo scriptore, agens, deque eo alia omnia statuens atque Hodius, facere non potuit, quin Septuagintaviralе quoque opus attingeret et diversam omnino ab Hodiana de eo sententiam ferret. Hodius postquam dissertatione *de hist. Aristeae*, quam a. 1687 juvenis scripserat, et libro primo operis classici *de bibliorum textibus originalibus et versionibus* a. 1705, denuo ediderat, traditionem Aristeanam falsitatis arguit, secundo libro non fuit contentus demonstrasse, versionis Septuagintaviralis auctores patriâ *Alexandrinos* fuisse (non Palaestinenses Hierosolymis accersitos), sed in oppositam opinioni vulgari partem secedens

1. *Ptolemaei Philadelphi* jussu, *Demetrii Phalerei* cura eam institutam esse prorsus negavit,

2. deinde in *Bibliotheca Regia* opus repositum numquam fuisse contendit,

200

FRIDERICO THIERSCHIO

PATRI

D. D. D.

HENRICVS FILIVS.

nec Regi ad quem scribit occultam commemorat, legis versionem centum ante annis sub ejus decessorum uno institutam.

Nec vero quod *secundum* ab Hodio negari supra commemoravimus, a veri similitudine abhorrere declaravit Valckenarius: inter tot millia voluminum, in bibliotheca Alexandrina conditorum, et V. Testamenti versionem locum invenisse.

§. 4.

Atque his, quae merito erant probabilia sobrio Valckenarii judicio, etiam major fides paratur testimonio recens invento. Detexit Osannus philologus Giessensis SCHOLION LATINUM in codice membranaceo Plauti, qui Romae in collegio Romano asservatur, sub finem comoediae Poenuli adscriptum. Quod accuratius descripsit et peculiari libello *) illustravit Ritschl, philologus Vratislavensis, isque ἀξιοπιστίαν ei vindicavit. A philologo Italo saeculi fere XV e Graeco scriptore „Cecio", quem Tzetzem esse Welckerus agnovit, transcriptum, a Tzetze autem e vetustis et genuinis Callimachi atque Eratosthenis bibliothecariorum Alexandrinorum scriptis haustum est. Auctor quum de poematum veterum Graecorum collectione et recensione, Alexandriae sub Ptolemaeo Philadelpho facta, dixisset, his verbis pergit: „*nam Rex ille philosophis affer-*

*) *Die Alexandrinischen Bibliotheken und die Sammlung der Homerischen Gedichte nach Anleitung eines Plautinischen Scholium's.* Berlin 1838. 8.

tissimus (*differtissimus* legi vult Ritschl, nescio cur non *affectissimus*) *et caeteris omnibus autoribus claris, disquisitis impensa Regiae munificentiae ubique terrarum quantum valuit voluminibus opera Demetrii Phalerei phxxa senum* *) *duas bibliothecas fecit, alteram extra Regiam alteram autem in Regia*". Id quidem unum, quod de Demetrii Phalerei cum Philadelphi conjunctione refertur, tueri non vult Ritschl, immixtum id esse e traditione ecclesiastica, Valckenarii rationem, qua eam rem assereret, nimis videri artificiosam; sed audi quae paulo infra, expositis voluminum collectorum ingentibus numeris, subjunguntur: „*haec autem fuerunt omnium gentium et linguarum, quae habere potuit, docta volumina, quae summa diligentia Rex ille in suam linguam fecit ab optimis interpretibus converti.*" Quae modo de iis omnibus gentibus intelligantur, quibuscum tunc erat Graecis commercium, de Aegyptiis, Chaldaeis, Romanis, dubia omnino non esse, Ritschl auctoritate Syncelli (pag. 271 D) confirmat.

§. 5.

Interim in diversas omnino partes abierat, qui non est praetermittendus, vir clarissimus Leonardus Hugius. Is ante hos XX annos (1818) programmate Friburgi edito, etsi confictam non negavit Aristeae historiam, plura tamen in ea vera latere et ipse

*) *et septuaginta senum*, legendum censet Bernhardy; Ritschl de his verbis silet.

censuit, quam Hodio erat visum. Sed quod Valckenarii illa opus cognitum non habuit (ut videtur), doleas. Seterum igitur Ptolemaeum, non Philadelphum arbitratur auctorem fuisse, ut Lex seu Pentateuchus verteretur, eique politicum consilium fuisse, scilicet ut Judaeos post mortem Antigoni denuo sibi subjectos secundum ipsorum leges regere atque ita eorum animos sibi conciliare posset. Quos ut sibi obstringeret, versionem, e codice authentico Hierosolymis petito per aliquot e septuaginta duobus sacerdotis summi legatis factam, in bibliotheca honorifice reposuisse. Eundem eodem consilio Judaeos multos libertate donasse et anathemata pretiosa templo Hierosolymitano misisse; atque ea omnia circa Ol. CXIX finem, annum a Chr. 300, facta Pseudo-Aristeam ad ipsam versionem, quo majorem ei pararet auctoritatem, retulisse.

Sed ad has quidem quaestiones explicandas post tantorum virorum studia a nobis vel tantillum praestari posse, desperamus in tanta rerum difficultate et testimoniorum historicorum, quibus hic opus est, summa penuria. Opera cognoscendae ipsi versioni impensa nobis persuasit, legis Mosaicae translatae consilium non fuisse literarium, ut nuper visum est Hävernickio (*Handb. d. hist. krit. Einleitung in d. A. T. Erlang.* 1835) quale fuit diascenastis Alexandrinis in διορθώσει Homeri; verum decernere non audeamus, num politicum fuerit, ut Hugius suspicatur, an ecclesiasticum ut Hodius Sturzius alii censuerunt, an privatum ut Eichhornius conjecit, an denique ecclesiasticum simul ex parte Judaeorum (quod nobis paene persuadet ver-

sionis indoles) atque aliud quoddam ex parte regis et Demetrii Phalerei (quod Aristobuli testimonio commendatur). Nec vero duo priora ζητήματα illa (§. 2 extr.) latius tractare voluimus; attamen quod tertium caput Hodianae sententiae supra commemoravimus, quum solis internis, quae vocant, argumentis dijudicandum sit, vèl propterea operae pretium fore speravimus, si ipsius Pentateuchi Alexandrini indoles novo examini subjecta fuerit. Eam enim ab Hodio, cui reliqua tantum non omnia praeclare acta confitemur, obiter tantum cognitam fuisse, res ipsa demonstrarit.

§. 6.

Eum igitur fructum primum ex ejusmodi instituto percipere licuerit, ut intelligatur, utrum in versione Pentateuchi Alexandrina, sive ab uno profecta, sive a pluribus conjunctis viribus confecta, unum sibique constans auctorum studium et consilium, una eademque per omnes ejus partes methodus animadverti queat, an ut Hodius voluit, a diversis interpretibus, non conjunctis eorum studiis, sed a singulis singulae ejus particulae separatim elaboratae, atque ita, non inter sese collatae, non emendatae, non ad unam normam exactae, sed quales erant conglutinatae fuerint et quasi laciniae in centonem varium et discolorem consutae. Quod in Hodii sententia positum esse ipsius verba lib. II. cap. 10 aperiunt. Suspiceris, ei ante oculos versatam Versionem Bibliorum Anglicanam, quae a plurimis opus inter sese partitis confecta dicitur; ii

vero laborum particulis collatis correctisque totum corpus egregium concinnaverunt. Sed istam Hodii opinionem Sturzius quidem, uti dictum est, negavit, qui „Pentateuchi, inquit, versio ab uno auctore videtur profecta esse,“ nemo autem, quantum novimus, refutavit. Quid igitur egerit unus ille interpres sive interpretum unanimis consessus, quas leges sibi scripserit, in luce clara fuerit collocandum.

§. 7.

Hanc vero versionis Alexandrinae partem antiquissimam eandemque praestantissimam per se spectare vel propterea non pigeat, quod eam possidemus primum ejus generis operum specimen apud Graece loquentes. Non enim innotuit, ante Ptolemaei Philadelphi aetatem, qua Vetus Test. et (si scholio illi Latino fides habenda) alii quoque libri extranei conversi sunt, quodquam opus barbara seu peregrina lingua conscriptum Graecitate esse donatum. Longe videlicet ab eo absumus, ut Aristobulo de versione librorum Mosis antiquiore, qua Plato, qua Pythagoras, qua Orpheus usi fuerint, verba facienti fallacia quidquam tribuamus. Nec magis curanda videtur magni Vssebii sententia, qua genuinam V. Testamenti versionem LXXviralem, opus illud excellentissimum, cum ipsa bibliotheca in bello Julii Caesaris Alexandrino igne periisse censuit, quo facto eam, quae nobis exstet, sub Herode Magno mediocrem et multo inferiorem in illius locum esse substitutam. Satis illum confutarunt Valesius Hodiusque, quibus recen-

tiores accedunt *). Adparuerit igitur, Pentateuchi interpretes quiqui fuerunt, negotio novo et arduo functi, qua arte, quo successu expresserint res linguâ Graecâ Hebraicas, Europaea Semiticas, profana sacras.

§. 8.

Praeterea disquisitio talis ad cognoscendas origines et prima initia Graecitatis hebraizantis nonnihil conferat, et fundamentum quasi ad aestimandos et explicandos ejusdem idiomatis libros seriores jaciat. Etenim dubium non videtur, reliquorum V. Testamenti librorum interpretes versionem Pentateuchi ante oculos habuisse, Apocryphorum auctores et N. Testamenti scriptores cum totius Veteris Instrumenti tum Legis Graecae, assiduâ lectione versatae, verba et stylum etiam saepius quam sententias esse mutuatos. Quandoquidem probare possimus, fere quidquid Hebraismorum a Legis interpretibus Graecis admittitur, non e vulgari sermone Judaeorum τῶν ἑλληνιζόντων, ut quibusdam videtur, ascitum sed cum arte potius et eruditione quaesitum et ad originalis textus faciem esse accommodatum; nec tam e quotidiana loquendi consuetudine desumtum, quam novo et egregio scribendi dicendique exemplo posteris propositum.

§. 9.

Insuper in emendando textu versionis Graecae librorum Mosaicorum et in dijudicanda multa lectio-

*) Ritschl l. c. p. 33.

num varietate textui circumfusa profici nihil potest, nisi antea interpretum dialectus et usus loquendi, methodus et ratio vertendi descripta fuerit et critici canones nonnulli inde constituti. Sed quoniam negotium illud editionis criticae τῶν ὁ a nemine videtur absolutum, susceptum vix a quopiam, dicendum, quam interea editionem textus praeferendam censeamus et sequendam, ne quis temeritatis nos accuset, qui de ea versione elaborare aliquid susceperimus, de cujus textu nondum constet. Re enim vera cum vix in ullum auctorum antiquorum tanti criticorum labores collati sint, quanti Origenis Adamantii fuerunt in adornando textu τῶν ἑβδομήκοντα, nullus tanta lectionum varietate oppressus est, quanta versionem Septuagintaviralem occupavit, in Holmesii editione conspicua. Nihilo secius unam e quatuor recensionibus quae exstant sequi, plerumque fas esse videtur, Romanam. Nam in *Complutensi* hic illic ad exemplaria Masorethica textum ab editoribus esse accommodatum constat; *Aldina* quoque quid valeat incertum. Itaque quum Romanam inter editionem, quae *Vaticani* codicis textum exhibet, et eas editiones, quae *Alexandrinum* exemplar sequuntur, optio data esset, utrum illa an hae praestarent aliquamdiu ambigebamus. Atque ab initio Grabii prolegominis de cod. Alexandrino permoti, hujus recensioni longe magis favebamus, sed mox quum e Montefalconii praeliminaribus *) in *Hexaplorum Origenis quae supersunt* Origeniani laboris naturam librorumque corruptelam

*) cf. operis citati, Paris. 1713 fol. Vol. I. cap. IV, §. 6.

illinc profectam intellexissemus, atque in perlustrandis lectionibus variis, Alexandrinum ad exemplaria Masorethica innumeris fere locis accedere, Vaticanum ab iisdem recedere animadvertissemus, dubitare non poteramus, quin genuina saepissime et Origene antiquior lectio deprehenderetur in editione Romana. Et plus integro anno postquam id nobis ipsi persuasimus Lamberti Bosii prolegomenis in egregiam τῶν ὁ editionem edocti sumus, idem esse judicatum et a Bosio ipso et ante eum a Joh. Morino et Briano Waltono. Quam sit immunis liber ille Vat. et ab asteriscis obelisque et a transpositionibus Origenianis, clarissime patuit collato per Joh. Morinum Andreae Masii codice Syro Hexaplari accuratissimo. Patuit ejusdem summa praestantia cum editoribus Romanis, tum Lamberto Bosio, etiam instituta comparatione plurimorum locorum a Philone Patribusque antiquissimis citatorum. Dignissimum igitur illum judicamus, cujus textum sequamur; qui habetur in editione Romana. Quam qui jussu Sixti V. ope aliorum virorum doctorum curavit Carafa Cardinalis, in praefatione alios quoque codices ms. in auxilium vocatos refert, sed quum nullus Vaticano illo n. 1215 praestantior inventus esset, „ejus unici textum accuratissime esse excusum, vitatis nonnisi erroribus librarii manifestis et orthographia exemplaris ms. obsoleta ad nostrum scribendi morem attemperata.“ Temere quidem contendere videtur Eichhornius, eo in labore plurima ab editoribus e conjectura esse posita, sed tamen num intactae ubique remanserint ipsae Vaticani cod. lectiones, poterat dubitari, exploratum

quissimae: Divinarum legum exegeseos monumentum; stabiliendae veritatis Hebraicae, quam toties ex ipso labefactare conati sunt, subsidium non spernendum; sapientiae et theologiae Judaeorum τῶν ἑλληνιζόντων specimen primum et idem fundamentum; Ecclesiae antiquae per aliquot saecula revelationis Divinae per Mosen factae unicum documentum, Evangelicaeque lucis e penetralibus Judaeae gentibus orturae mundoque affulsurae quasi aurora olim praenuntia. Etenim, ut Eusebii Caesariensis verbis utar (Praeparat. Evang. VIII, c. 1) Θεὸς αὐτὸς ὁ τῶνδε τῶν ἀγαθῶν αἴτιος (προλαβὼν τὸ μέλλον ὡςὰν Θεὸς τῇ προγνώσει) τὰς περὶ τοῦ πάντων ἀνθρώπων οὐκ εἰς μακρὰν ἀναφαγησομένου Σωτῆρος προῤῥήσεις ἀποκαλυφθῆναι εἰς φῶς τε ἐλθεῖν — διοικεῖται — εἰς προπαρασκευὴν τῆς τῶν ἐθνῶν ἁπάντων ὅσον οὔπω μελλούσης ἐξ αὐτῶν ἔσεσθαι μεταλήψεως.

§. 11.

Exstiterunt de Pentateuchi versione Alexandrina scriptores, qui et ex iis, quae a nobis missa sunt, et ex his, quae agere propositum est, nonnulla tractarent. Anno 1830 Topflerus Ph. Dr. *de Pentateuchi Alexandrinae Interpretationis indole critica et hermeneutica* Lipsiae commentationem edidit, qua de Hebraici codicis archetypi forma, de additamentis et praetermissis, de conformandi et perspicuitatis studio, de ordine verborum turbato, de emendationibus et interpretamentis, de nominum propriorum translatione, de manifestis denique erroribus et locis quibusdam diffi-

cilioribus egit. Quarum rerum indices potius proposuit quam singulis accuratam operam impendit; in plerisque autem GESENIVM citavit, qui in commentatione *de Pentateucho Samaritano* ob illius cum Graeco multimodam congruentiam plurima, quae huc spectant, attigerat. De dialecto autem, de Hebraismis versionis neuter scripsit, nobis ea reliqua facientes. Nostrum igitur est, de legibus, quas Pentateuchi Interpretes Alexandrini in vertendo observarint, animadversiones proponere, de dialecto, qua usi sint, disserere et quomodo ea dialecto et sensa et verba Hebraica expresserint aut variarint, exponere, ut quam interpretandi rationem secuti sint, ex omni parte appareat. Atque illarum rerum expositionem prolixam quum habeamus elucubratam in schedis, ejus haec voluimus esse PROLEGOMENA seu dissertationem praeliminarem; et extremam quidem operis nostri partem, qua abusus versionis Alexandrinae ad sollicitandas textus Hebraici lectiones injuria saepe adhibitae imprimis cavetur, *criticae dissertationis* nomine jamjam sumus edituri; grammatica vero pars, qua de dialecto versionis ejusque Hebraismis agitur, alio tempore, si DEO placet, in lucem prodeat.

Conspectus.

§. 1. De Aristeae historia.

§. 2. H. Hodii sententia.

§. 3. Aristobuli Jud. testimonium.

§. 4. Scholion Latinum nuper inventum.

§. 5. Leon. Hugii sententia.

§. 6—10. Instituti nostri usus, praecipue criticus et grammaticus.

§. 11. Recentiorum eadem de re scripta.

LIBER PRIMVS.

§. 1.

Ingens est ζήτημα, agitatum praecipue a theologis saeculi XVII, de variarum Veteris Test. editionum, quas ab antiquitate accepimus, auctoritate: Hebraici textus a Masorethis traditi, Pentateuchi a Samaritanis conservati, versionum antiquarum, imprimis Alexandrinae. Ecclesiarum et Confessionum olim hoc fuit publicum certamen, non singulare tantum virorum doctorum inter se disceptantium. Erant inter Romanae Ecclesiae theologos viri eruditi, qui non dubitarent, Hebraicum textum omni modo emendare: Ludovicus Cappellus (in *critica sacra*) praecipue e versione Alexandrina, Joannes Morinus e Pentateucho Samaritano, qui paene canonicam ipsi videbatur habere auctoritatem. Quorum ille cum alios tum magnum Jo. Buxtorfium patrem, hic inclytum Jo. Henr. Hottingerum, theologos Reformatos sui aevi doctissimos utrumque, adversarios nacti sunt.

Historiam certaminum tantis gestorum viribus laboribusque, quantos nostra aetas imitari imbecilla non valet, admirari fastuosa saepe recusat, praeteribo, quam in Wolfii Biblioth. Hebr. praeclare habes expositam; si id unum commemoravero, quod anno 1674 in Formula Consensus Ecclesiarum Hel-

veticarum Reformatarum, dogmatis nomine receptum id est ac sancitum, Hebraicum textum cum suis punctis a Divina providentia integrum illibatumque esse conservatum, Veteris Foederis authenticum documentum, in quo nefas esse quidquam e Samaritano, e LXX Intt. versione, e Targumim vel aliunde emendationis specie mutare. Hac igitur in doctrina ut perseverarent, Ecclesiarum Helveticarum ministri inde ab eo tempore in XVIII usque saeculum obligabantur.

Nostris interim in Ecclesiis symbolica de his quaestionibus nulla exstabat confessio; Lutherus in sua versione ipse, quum „Judaeis" quo magis aetate proveheretur eo minorem haberet fidem, Versiones antiquas, Graecam Latinamque haud raro erat secutus. Sed exculto et ab omni parte elaborato Lutheranorum systemate dogmatico, et ipsi in easdem cum Reformatis partes transgressi, ad orthodoxam fidem pertinere arbitrabantur, ut Hebraico codici ejusque punctis authentia et auctoritas tribueretur absoluta.

Videantur instar omnium Jo. Gerhardus Locis Theol. loco I. c. XIV, Dav. Hollazius, Examine Theol., proleg. III, qu. 42. Paulo minus religiosi Lutheranis et Helvetis videntur fuisse doctores Ecclesiarum Reformatarum Belgii. Etenim Lambertus Bos, linguae Graecae in academia Franequerana professor, magni Vitringae collega et affinis, in praefatione ad editionem τῶν ὁ illam praestantissimam a. 1709 tribus locis levem Hebraici textus e Graeca versione mutationem ausus erat. Ac paulo post Witembergae in sede orthodoxiae Lu-

theranae contra eas mutationes peculiaris habita est disputatio.

Ingruente autem Ecclesiae nostrae Rationalismo et priscae eruditionis quoque ruina magis magisque imminente, primi asseclae Johannis Dav. Michaelis, doctam magistri circa haec levitatem etiam superantes, nihil sibi in agitando Veteris Test. textu non licere arbitrabantur*). Jam vero recentiorum nonnulli, utrumque Pentateuchum, Hebraicum et Graecum non tam religionis quam cognoscendae antiquitatis causa scrutati, ad opiniones redierunt aequiores. Certe Gesenius in commentatione *de Pentateucho Samaritano* vix uno duobusve locis Hebraicum e Samaritano emendari posse censuit: atque ea ipso Alexandrinae quoque versionis usum in crisi textus sacri minimum statuit. Nihilosecius est Gesenii discipulus, qui novissimis annis in emendandum Pentateuchum e Graeco Hebraicum incubuerit Jo. Theoph. Plüschke, Theol. in Seminario August. Conf. apud Batavos professor, quem infra citaturi sumus; ne quid dicam de aliis, quibus hodieque moris est, ne audito quidem ullo ex antiquis teste, sui ingenii inventa, his, quae codex sacer antiquitus consignata, Ecclesiae credita exhibet, amotis ingerere**).

---

*) cf. Hamanni operum tom. IV. pag. 240.

**) Exemplum sis accipe e sexcentis unum, ejus qui (in libro: *Begriff der Critik*) bella sagacitate invenit, Ps. II. v. 12. falsum esse illud „*obsculamini filium ne irascatur*," scilicet legendum: נשקו כר idque vertendum: *rüstet den Lämmertribut!*

§. 2.

Interim nobis, quum discrepantiâ, quae passim magna et mira invenitur Hebraicum inter et Graecum textum, observatâ, scrupuli animo haererent, quumque de sinceritate et fide codicis Veteris Test. dubitationes concepissemus, Mosis libros Hebraice et Graece perlegere ante biennium instituimus, ut leges, quas in vertendo sibi scripserint interpretes, et methodum, quam secuti sint, observaremus, iisque perspectis, quid de causis illius discrepantiae et de Hebraici Graeciqne textus pretio atque auctoritate statuendum esset, cognosceremus. Jamque eas de methodo, quam LXX intt. in transferendo Pentateucho secuti, observationes sumus proposituri, quibus imprimis abusus ejus translationis ad sollicitandas lectiones textus Hebraici prohibeatur, vel saltem aliquid ad criticas illas quaestiones solvendas afferatur; quod quidem ea invenimus via, quae inita videtur a paucis, confecta a nemine.

§. 3.

Discrepantiarum Graeci et Hebraici codicis *genera duo* sunt praecipua, quae in suum usum convertere solent critici. *Unum* discrepantiarum genus est, si LXX in singulis verbis alia puncta aut alias etiam consonantes literas quam nos hodie ante oculos habuisse videntur, quia ipsorum versio cum eo sensu, quem hodierna lectio exhibet, videtur non posse conciliari. Promti plerumque

fuerunt viri non indocti, si quid ejusmodi occurreret, inde colligere, in Interpretum codice Hebraico aliter fuisse scriptum, et quid ibi scriptum fuerit conjectare. Verum hujusmodi ita saepe indulgebatur conjecturis, ut methodus, quam LXX in vertendo secuti sunt, parum respiceretur. Etenim unum vel alterum locum spectabant, reliquos in consilium non vocabant. Quo factum, ut etiam viri magni nonnunquam temerariis suspicionibus se darent, alii inconsultas ipsius Hebraici textus emendationes molirentur.

Operae igitur pretium, proferre nonnulla, e quibus appareat, quam caute sit agendum in ejus generis conatibus.

Enumerata quidem sunt ab aliis numerosa τῶν ὁ in Pentateucho ipso errata, aut e negligentiori codicis originalis scriptura, aut ex ipsorum ἀκριβείᾳ et oscitantia explicanda (cf. Töplerum *de Pentat. Int. Alex.* 1830. §. 3—6) in quibus si quaeratur, quae literae in eorum codice scriptae ibi fuerint, nemo sobrius non videt, parvam vel nullam esse τοῖς ὁ fidem habendam. Alia vero sunt, quae non prodant errores, neque hallucinationibus Interpretum tribui posse videantur.

De quibus, quia facilius ad conjecturas invitant, dicam aliquid. Reperiuntur autem praecipue in locis Hebraici textus impeditis et obscuris, in vocabulis raris vel prorsus ἅπαξ εἰρημένοις. Libentius in his etiam sobrii homines antiquas versiones in auxilium vocant non modo explicationis causa sed etiam mutationis. Valeat autem aliquid lex illa, qua „difficiliorem lectionem praestare procli-

viori" statuimus, et concident mutationum hujusmodi conamina plurima. Jam vero insuper, quaeso, accipe, quae sit τοῖς ὁ in talibus locis procedendi ratio.

§. 4.

Tria sunt interpretis officia potissima, primum ut sit fidelis textui, quem interpretatur, alterum ut sit dilucidus lectori, cui interpretatur, tertium ut ne sit inelegans lingua, qua interpretatur. In perspicuitatem peccare potest fidelitatis ergo, si verba ipsi non intellecta verbis obscuris textus propositi quasi adnumerat, ut *Theodotio* passim agebat, Hebraica saepius verba Graecis literis exscribens. *Aquila* κακοζηλίας in vertendo notus cum perspicuitatem tum elegantiam Graecitatis corrumpebat. Contra elegantiae nomine laudatur *Symmachus*. Nostris autem, certe in Pentateucho, secundum officium, PERSPICUITATIS inquam studium summum fuit, elegantiae proximum, fidelitatis saepius extremam.

Perspicuitatis justae est, quod vulgari Alexandrinorum dialecto usi sunt, quod Hebraismis non ita repleverunt versionem, quin commode posset intelligi, quod obscurioribus dilucidiora statim ubi eadem recurrebant substituerunt, atque ita quum Hebraismos temperarunt, tum Nomina propria et extranea explicarunt, de quo, quum de reliquis alibi sit agendum*), jam nonnihil sumus dicturi.

*) Eas enim res, quae ad stylum τῶν ὁ pertinent capitibus duobus peculiaribus illustrare conati sumus,

§. 5.

Nomina propria in Pentateucho commemorata Graecis partim erant nota, partim ignota, alia in Graecam linguam transmigraverant Graecamque formam induerant, alia nunquam erant Graeca civitate donata. Nota erant nomina locorum et gentium multa. Recte in his LXX formam *Graecam* lectori cuilibet cognitam Hebraicae praeferunt. Sic Εὐφράτης, (et Τίγρις), Ἀσσυρία, Ἰδουμαία, Βαβυλών, Ἑβραῖος, Χαλδαῖοι, Μαδιηναῖοι (et Μαδιανῖται, quod minus usitatum puto fuisse Graecis). Alibi ejusdem loci populive nomen Graecum quamvis ab Hebraico dissonum adhibent: Αἰθιοπία כּוּשׁ, Μεσοποταμία Συρίας פַּדַּן אֲרָם, Καππαδοκία כַּפְתֹּר et Καππάδοκες, Φοινίκη כְּנַעַן et gentile nomen Φοίνισσα (nonnisi Exod. VI, 15. XVI, 35.) ἡ ἐρυθρὰ θάλασσα יַם סוּף *Aegyptias* vero res Aegyptiis nominibus apte insigniunt: Τανίν צַעַן dicunt, Ἡλιούπολις אוֹן Gen. XLI, 45. גֹּשֶׁן dicitur Γεσέμ idque Γεσὲμ Αραβίας Gen. XLV, 10. XLVI, 34. Exod. XIII. 17; at Gen. XLVI, 28. 29. Josephus Jacobo καθ' Ἡρώων πόλιν obviam venisse refertur, ubi Hebraice nihil nisi „in terra Gosen" id factum esse, memoriae proditur. Exstitisse puto in Aegypto traditionem de loco, quo res illa gesta, eamque τοῖς ὁ ibi receptam. Neque inane arbitror, quod Mosis nomen

---

paulo post, si Deo placet, publicandis. Prolegomena autem historica etiam separatim edidimus, eod. anno et loco quo hanc dissertationem.

Μωϋσῆς scribunt (quamquam cod. Alex. ubique videtur habere Μωσῆς), unde Aegyptiacum etymon nomini aptum pateret, Josepho aliisque observatum. Certe Aegyptiacae sunt formae etiam Πετεφρῆς פּוֹטִיפַר et Ψονθομφανήχ Josephi titulus צָפְנַת פַּעְנֵחַ, nec non κόνδυ de poculo Josephi dictum, οἰφί i. e. Epha mensura, ἄχι sive ἄχει sive ἀχί de eo quod in palude nascitur; πάπυρος quoque et (quod a Sturzio *de dial. Maced. et Alex.* praetermissum video) θίβιν i. e. κιβωτόν in qua Moses expositus Exod. II.

§. 6.

Interim ea nomina propria, quae Graeca facta nondum erant, accipe quomodo scripserint, ut in his quoque lectorum magnae saltem parti perspicuum, quatenus fieri posset, redderent Pentateuchum. Graecis quidem ista in usu non erant, at erant interpretum popularibus: *Judaeis Alexandrinis;* quare horum servabant *pronuntiationem*, quae paene in nullo nomine Hebraico Versioni inserto non animadvertitur. Tantopere ea discrepabat ab hodierna nostra (quam Origenem, Eusebium, Hieronymum habuisse cernimus), ut non modo vocales aliae essent, sed etiam consonae literae in nonnullis nominibus diversae pronunciarentur, e. g. Ναυῆ (forsitan Ναυῆς) נוּן, Ἀβιουδ אֲבִיהוּא. Dialectus Hebraicae linguae illic loci obtinens sane aliunde non est nota; vocales a vocalibus Chaldaicae linguae discrepant, plures sunt, Arabicae pronuntiationi similiores (cf. Gesenius,

Geschichte der hebr. Sprache u. Schrift §. 54). Sed Chaldaica tamen nonnulla reperiuntur: pro-ίμ saepius-ήν sive-είν, Aleph status emphatici Chaldaeorum in μάννα, σίκερα, πάσχα, Σήκιμα (שְׁכֶם urbis nomen, gen. Σηκίμων) animadvertitur *); denique in σάββατα i. e. שַׁבָּתָא, quod σαββάτων genitivum, et σάββατον singularem formam item declinabilem recipit, quia ea vox ore vulgi, etiam Graeci praecipue erat trita.

Ceterum nomina propria declinationis reddere capacia parum laborabant, exceptis his, quae per se cadebant in vocalem. Et feminarum quidem nomina in α, nullo negotio declinantur, ας, ᾶ, αν, sic Λεία, Μεῤῥᾶ, Σάῤῥα, atque ea quoque in quibus alia consonans ante α, Βαλλᾶ, Ζελφᾶ, Ῥεβέκκα **). Virorum autem nomina in α, si usitatiora erant, in nominativo terminationem ας recipiunt, deinde declinantur: gen. α, dat. ᾳ, acc. αν e. g. Ἰούδας ***). Singularia vero sunt Μωϋσῆς, σῆ, σῇ, σῆν et Ἰησοῦς unde mirus dat. τῷ Ἰησοῖ (Deut. III, 21. 28. XXXI, 23. Rom. ed., sed Alex. al. Ἰησοῦ) acc. Ἰησοῦν. Dativum Φαραῷ in ed. Rom. invenias. Insolito denique modo Ex. XXXV, 30. Βεσελεὴλ artifex ὁ τοῦ Οὐρείου sive Οὐρίου appellatur i. e. בֶּן־אוּרִי. Gen-

*) Nescio unde α in nominibus literarum antiquissimis: ἄλφα, βῆτα, γάμμα κτλ., sitne ista terminatio e Phoenicum dialecto desumta, an Graecorum ori accommodata.

**) Montis nomen Σινᾶ et alia ejus κλίσεως expertia sunt, nisi quod ἐν Δουζῷ, ἐν Σινῷ in edd. scriptum.

***) Sic Graeci etiam Romana Σύλλας, Ἀχύλας exprimebant.

tilia nomina in י saepe declinationis causa terminationes commodissimas ινης, αῖος, accipiunt. E. g. Ἰσραηλίτης, fem. Ἰσραηλῖτις, Κιτιαῖοι כִּתִּים Num. XXIV, 24.

Frequens Χαναναῖος כְּנַעֲנִי, at Num. XXI, 1. 3. et XXXIII, 14. ubi videbatur esse personale nomen: ὁ Χανανεὶς βασιλεὺς Ἀράδ (sane Alex. Ox. Compl. -αῖος) ib. v. 3. est accus. Χανανεῖν (Alex. Χανανί). In gentium genealogia Gen. X immutata nomina nonnulla relinquunt, quorum alibi Graecam formam praetulerunt.

Jam omnia declinationis nominum Hebraicorum vestigia e Pentateucho enumerata habes, paucissima equidem. Reliqua enim cuncta sunt indeclinabilia, Graecis auribus nequaquam accommodata, sed sicut a vulgo Judaico Alexandrinam profecto pronuntiabantur conscripta.

Longissime ab hac nostrorum ratione abest Josephvs, cujus Ἀρχαιολογίας lib. I. cap. VII. (pag. 13. E, ed. Colon. 1691) de modo scribendi nomina propria ipsi recepto haec sunt verba: Τὰ ὀνόματα διὰ τὸ τῆς γραφῆς εὐπρεπὲς ἑλλήνισται πρὸς ἡδονὴν τῶν ἐντευξομένων· οὐ γὰρ ἐπιχώριος ἡμῖν ὁ τοιοῦτος αὐτῶν τύπος· ἀλλ' ἕν τε αὐτῶν σχῆμα καὶ τελευτὴ μία (sunt indeclinabilia) Νῶχος γέ τοι Νῶε καλεῖται, καὶ τοῦτον τὸν τύπον ἐπὶ παντὸς τηρεῖ σχήματος. Josepho igitur elegantia potior fuit, nostris perspicuitas; cui quatenus studuerint demonstrare operam damus.

§. 7.

Perspicuum agere interpretem difficilius erat in nominibus propriis personarum et locorum, quorum ratio redditur a Mose *etymologica*. Glossae a Luthero aliisque interpretibus recentioribus adscribi solent, τοῖς ὁ ea non est consuetudo. Origenes demum et alii posteriorum Graecae Vet. Testamenti versioni explicationes Nominum Hebraicorum marginales adjecerunt, quae in plerisque codd. Ms. asservantur. (Hic illic ejusmodi glossa in textum illata videtur; sic nominum Μωὰβ et Ἀμμὰν explicatio Gen. XIX, 37. 38, item nominis Ἰσσάχαρ, ὅ ἐστι μισθός ib. XXX, 18). Nostri arte quadam et prudenti consilio utuntur: Nomen peregrinum ubi primo legitur, imprimis si etymi commemoratio adjecta est, Graece transferunt, ut lector Hebraicae linguae ignarus originem possit percipere; ubi recurrit, ipsum Nomen proprium ponunt.

Gen. III, 20. καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ζωὴ, ὅτι μήτηρ πάντων τῶν ζώντων. Posthac constanter Εὔα audit.

Ib. XIV, 13. ubi Abraham prima quidem vice הָעִבְרִי appellatur, dicitur ὁ περάτης, postea semper Ἑβραῖος.

Ib. XXXV, 18. apte Benoni est υἱὸς ὀδύνης μου, sed Βενιαμίν nomen proprium quod valuit, non translatum, nec reliquorum filiorum nomina, nec Φαρὲς et Ζαρὰ ib. XXXVIII, 29. 30.

Ib. XI, 9. Σύγχυσις est nomen urbi a con-

fusione linguarum impositum, quae alias usque Βαβυλών.

Berseba, ubi origo nominis narratur τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου et τοῦ ὁρκισμοῦ Gen. XXI, 14. 31. 33. XXII, 19. XXVI, 33.

Trium puteorum nomina ib. XXVI, 20—27. ἀδικία, ἐχθρία, εὐρυχωρία.

Agar puteo, quem in deserto monstravit Dominus, nomen imponit בְּאֵר לַחַי רֹאִי φρέαρ οὗ ἐνώπιον εἶδον ib. XVI, 14. idem deinde ubi rursus commemoratur, abstracte dicitur Τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως XXIV, 62. XXV, 11.

Gen. XXVIII, 19. καὶ ἐκάλεσεν (Ἰακὼβ) τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου οἶκος Θεοῦ, deinde XXXI, 13. ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ בֵּית־אֵל quia ambiguum ibi foret ἐν οἴκῳ Θεοῦ, denique sicubi geographica urbis mentio fit Βαιθήλ.

Gen. XXXII, 3. מַחֲנָיִם transferunt Παρεμβολαί, et insuper explicationis causa praemittunt: v. 2. καὶ ἀναβλέψας εἶδε παρεμβολὴν Θεοῦ παρεμβεβληκυῖαν. Contra Jos. XIII, 26. Μαναίμ.

Gen. XXXII, 31. 32. פְּנוּאֵל et εἶδος Θεοῦ, et τὸ εἶδος τοῦ Θεοῦ, sed ubi nomen geographicum Jud. VIII, 8. 9. Φανουήλ. Gen. XXXIII, 17. ἐποίησε σκηνάς, διὰ τοῦτο ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου Σκηναί סֻכּוֹת, alias Σουκχώθ.

In Gen. רְפָאִים c. XIV, 5. ubi primo, οἱ γίγαντες, ubi iterum XV, 21. Ῥαφαείν, atque eundem in modum in Deut. בְּנֵי עֲנָקִים, c. I, 28. υἱοὺς γεγάντων, at. c. II, 10. Ἐνακίμ, c. IX, 2. υἱοὶ Ἐνάκ.

Scitius quam in his egerunt agere non potuisse confitebere. Erant deindo *Nomina locorum* etymologice explicanda satis multa in historia itineris *per desertum*. Ea loca praeterea non erant nota, qua de causa aptum est, quod eorum nomina nonnulla a nostris non semel tantum sed fere ubique translata ponuntur.

Exod. XV, 23. מָרָה uno eodemque versu πικρία est et Μερρά, Num. XXXIII, 8. 9. habetur pluralis Πικρίαις, Πικριῶν. Ex. XVII, 7. מַסָּה וּמְרִיבָה πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις. מֵי מְרִיבָה modo ὕδωρ Ἀντιλογίας vertunt, modo ὕδωρ Λοιδορίας v. Num. XX, 13. 24. — Ib. XI, 3. תַּבְעֵרָה Ἐμπυρισμός. Ib. v. 34. 35. Μνήματα Ἐπιθυμίας cf. ib. XXXIII, 17. Deut. IX, 22.

Denique adde, quae non nisi semel leguntur: βάλανος πένθους Gen. XXXV, 8. πένθος Αἰγύπτου ib. L, 11. φάραγξ βότρυος Num. XIII, 25.

Ceterum omnino adamant, nomina propria geographica Graecis ignota exprimere per appellativa. Recte quidem Deut. XXXIV, 3. עִיר הַתְּמָרִים πόλις φοινίκων, nec male ib. I, 1. חֲצֵרוֹת Αὐλών (ubi legendum ἀναμέσον — καὶ Αὐλῶν ab αὐλή). Num. XXII, 39. קִרְיַת חֻצוֹת πόλεις ἐπαύλεων, ib. XXVII, 12. הַר הָעֲבָרִים τὸ ὄρος τὸ ἐν τῷ πέρας (quod ib. XXXIII, 47. Deut. XXXII, 49. ὄρος Ἀβαρίμ). Num. XXIII, 14. et alibi רֹאשׁ הַפִּסְגָה κορυφὴ λελαξευμένου, atque ἡ λαξευτὴ Deut. IV, 49. (e lingua Chaldaica) de eodem vero monte ib. XXXIV, 1. ἐπὶ κορυφῆς Φασγά. Ib. III, 8. בְּרַבַּת ἐν τῇ ἄκρᾳ τῶν νιῶν Ἀμμάν.

Et haec quidem plana sed alia fere mira invenies: Exod. XIV, 2. לִפְנֵי פִּי הַחִירוֹת ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, at Num. XXXVIII, 7. τὸ στόμα Εἰρώθ. — Gen. XXIII, 29. בְּקִרְיַת אַרְבַּע ἐν πόλει Ἀρβόκ XXXV, 27. εἰς πόλιν τοῦ πεδίου. — Gen. XI, 8. בְּאוּר כַּשְׂדִּים ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων. — Deut. XXI, 4. εἰς φάραγγα τραχεῖαν אֶל־נַחַל אֵיתָן.

Mirum denique quod אֵלוֹן מֹרֶה vertunt ἡ δρὺς ἡ ὑψηλή Gen. XII, 6. Deut. XI, 30. atque אֶרֶץ מֹרִיָּה ἡ γῆ ἡ ὑψηλή Gen. XXII, 2.

Pariter alia, quae immutata relinquere poterant, vertunt, e. g. חֹדֶשׁ אָבִיב μὴν τῶν νέων, אַשְׁדֹּת ἄλση. Etiam plura si vis, suppeditabit Töplerus §. 20, 2, inter errores manifestos referens nonnulla, erroris labe, ut mihi quidem videtur, carentia. Errores contrarios aliquot, quum nomen appellativum parum intellectum pro nomine proprio ducerent, et immutatum in versione reponerent, ibidem vide; e. g. Deut. XXXIII, 2. Κύριος ἦκει — σὺν μυριάσι Κάδης קָדֶשׁ, quia Σινὰ, Σηεἰρ, Φαράν eodem v. praecedunt. Id quidem ejusque similia inde explico, quod revera vocem illam nom. proprium esse existimabant. Ille vero iis non est mos, qui aliorum, ut difficilia quaedam, quae nomina propria non esse noverant, intacta relinquerent, id quod Lutherus semel, ni fallor, in animum induxit Num. XXI, 13. οἱ ὁ ne ibi quidem.

§. 8.

Praeterea etiam in *mensurarum* et *ponderum* nominibus eam artem Interpretum deprehendis, qua lectori Alexandrino perspicuum reddere nituntur, quantum quaeque valeat; quare easdem voces pro vario variorum locorum sensu varie vertunt.

שֶׁקֶל ubi nummi loco est, δίδραχμον (בֶּקַע quae est dimidia pars sicli δραχμὴ vertitur, Gen. XXIV, 22. Ex. XXXVIII, 26.) idque εἴκοσιν ὀβολούς גֵּרָה continens Lev. XXVII. Exod. XXX, 13., at ibidem v. 24. ubi pondus est: σίκλος (est ei vocabulo forma Graeca, non a Nostris efficta sed in commercio hominum nata, quam Xenophon Anab. I, V, 6. habet).

Saepe quidem praecipitur filiis Israel, ut offerant inter alia τὸ δέκατον τοῦ οἰφὶ σεμίδαλιν, at Ex. XVI, 36. ubi exponendum erat, quantum Mannae donatum fuerit, quum singulis Γομὸρ obtigerit, addunt τὸ δὲ Γομὸρ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων ἦν עֶשְׂרִית הָאֵפָה הִוא.

Ipsum autem עֹמֶר, quod iis l. c. Γομάρ est, Lev. XXIII, ubi de primitiis frugum offerendis praecipitur et Deut. XXIV, 19. δράγμα vertunt, videntes ibi idem esse, quod עֳמִיר et غمر *manipulus*. Sic etiam דִּין Lev. XIX, 36. suis per χοῦς interpretantur: ζυγὰ δίκαια καὶ στάθμα δίκαια καὶ χοῦς δίκαιος ἔσται ὑμῖν, nam χοῦς, non Hin Alexandrinorum manibus inter reliquas mensuras Graecas quotidie versabatur; contra ubi de sacrificiorum mensura leges sunt passim εἶν sive ἴν sive ὖν in versione

positum. Alia ejusmodi vocabula rariora simpliciori modo (non nimis scrupulose) Graecis familiaria reddere studebant, haud secus ac nobis Lutherus. — לוֹג שֶׁמֶן Lev. XVI. semper κοτύλη ἐλαίου vertunt v. 10. rell., חֲמֹר שְׂעוֹרִים ib. XXVII, 16. κόρος κριθῶν. כֶּסֶף argentum, ubi nummus est Gen. XLV, 22. χρυσοῦς ponunt scil. στατήρ, כִּכָּר Ex. XXV, XXVIII, XXXVIII. τάλαντον, בֶּקַע δραχμή Gen. XXIV, 22.

§. 9.

Noli autem reprehendere, quod haec de nominibus peregrinis tam fuse exposuimus, in quibus manifeste Interpretes perspicuitatem quantum poterant sectati, artem prae se ferunt singularem, unum sequuntur constansque per omnes Pentateuchi partes consilium. Atqui hujus generis pleraque sunt, e quibus auctorum de Septuagintavirali versione maximus ille Hvmphredvs Hodivs (*de Bibliorum textibus originalibus, versionibus Graecis et Latinis.* Oxon. 1705 fol.) evincere conatus est, Mosis libros ita esse translatos, ut e multis interpretibus singuli parvas particulas verterent, eaeque deinde nulla collatione, nulla emendatione instituta in unum centonem consuerentur (Hody l. c. p. 217). Videtur Vir Magnus e Concordantiis Kircheri conquisivisse, quae forte vocabula Hebraica non semper iisdem vocabulis Graecis essent expressa, atque animum imprimis in peregrina nummorum ejusque generis nomina advertisse. Atque ita struebat argumenta, ut si cujus mensurae no-

men alibi Graecum alibi Hebraicum legi vidisset, duos statim diversos discordesque inde eliceret fuisse Interpretes. Quo infelicius nihil moliri poterat, suam enim ipse suis argumentis convellit opinionem. Probamentorum autem si qua sunt, quae in superioribus non sint diluta, haud majori negotio refutantur. Nimis profecto leve est, quod Ἀσσούρ et Ἀσσυρία, Ἐδώμ et Ἰδουμαῖος juxta posita, diversorum auctorum vult esse indicia. Infirmum, quod duorum capitum Lev. XI et Deut. XIV, quibus animalium impurorum enumeratio proponitur, discrepantiam testatur, nam per additiones et lectionum varietates tam salebrosa ibi facta sunt omnia, ut quid cui respondere debeat paene ignoretur, in quo labyrintho etiam Töplerus operam perdidit. Exile porro, quod affert, Urim et Thummim aliis locis versa δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, alio (quo liberior est versio et poetica orationis indoles Deut. XXXIII, 8) δότε Λευὶ δήλους αὐτοῦ καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ, alio (Num. XXVII, 21) ubi solum אוּרִים, stare δήλους. Missa facio reliqua, quae risum moveant, si inspecto textu utroque rimeris. Unum ex omnibus restat, quod explicare non possum nisi per inconstantiam e negligentia ortam: quod idem nomen in Gen. et Exod. Γηρσών, in Num. Γηδσών scribitur, permutatis ibi Daleth et Resch, cujus rei exempla plura dudum attulerunt critici v. c. illam hallucinationem valde miram Lev. XIX, 26. μὴ ἔσθετε ἐπὶ τῶν ὀρέων אַל־תֹּאכְלוּ עַל־הַדָּם, h. e. *non comedetis cum sanguine*, ut Vulg. habet; sed LXX particula עַל־ decepti poterant tam longe a vero sensu

aberrare, quum proclive esset pro הָרָם legere aut עַל־הָרָם *super alto*, aut עַל־הָרִים *super montibus*. Cf. Töplerum §. 3.

§. 10.

In eo eramus, ut quantam perspicuitati operam dedissent nostri ostenderemus. Et in his quidem, quae hucusque citavimus, maximam partem rite et legitime student, ut sint dilucidi. Atqui et alia perspicuitatis exempla sunt, quae fidelitatem, quatenus servare eam potest interpres, non magis tollunt. Ea dico, ubi pro raris, exquisitis, impeditis vulgaria, trita et dilucida ponunt. Nemini enim mortalium in ulla lingua ita concessum est transferre opus antiquum aliena lingua conditum, ut et nitores elocutionis iidem reniteant, ut sensuum eadem prorsus quasi lineamenta conspiciantur, ut latebrae obscuritatesque grammaticae iisdem locis consimiles lectorem offendant. Auctori licuit ita scribere, ut nos posteri sensus, ipsi quum scriberet claros neque ipsius popularibus coaevis impenetrabiles, assequi vix queamus. Interpreti obscuro esse non licet, praeter eam obscuritatem, quae non in verborum significatione et constructione insolenti posita est, sed in sententiarum vi sublimi et recondita, nexuque imo et profundo. Satis est, ut ex interpretatione intelligatur, quid dictum fuerit; quomodo, quibus verbis auctor dixerit, intelligitur quidem saepe, sed ut ubique divinari possit, nemo est qui requirat, ne ab interlineari quidem, quam vo-

cant, translatione. Nulla igitur vituperatione dignum, quod insolita multa solitis, rara communibus verbis transferunt e. g. Gen. XLI, 43. Josephi titulum אַבְרֵךְ κήρυξ, ib. XLIII, 11. מִזִּמְרַת הָאָרֶץ ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, ib. XLVII, 11. וַתִּלַּהּ καὶ ἐξέλιπεν ἡ γῆ Αἰγύπτου. Alia praebebit Töplerus §. 12 et §. 21.

Minus prospere iis passim cessit ejusmodi difficultatum solutio quam Hieronymo, quam Luthero, quam aliis nostratium, qui subtiliori opera adhibita, Judaeorum et Christianorum longis laboribus adjuti, Evangelii lumine illustrati perfectiores reddere poterant versiones. Perspicuitati autem quum vel antiquissimi illi exegetae studuissent, quos LXX et Samaritanus secuti, tum imprimis LXX ipsi studebant, nec facere poterant, quin audacius multos nodos resecarent potius quam expedirent et solverent. De ea hoc loco dicimus audacia, quam sibi sumserunt ad superandas difficultates grammaticas, quibus tuto, apte beneque dilucidandis vires non sufficiebant. Ita quidem praesertim in interpretatione Canticorum, Gen. XLIX, Deut. XXXII. XXXIII. versati sunt. In quibus etsi quas sententias perspectas non habebant, verba tamen consignare noluerunt nisi ea quae intelligi possent. Minime in paraphrasticas amplificationes evagati sunt, ut Onkelosus (vid. Winerus *de Onkel.* §. 12). Unam sane habes, conclusionis cantici Mosis Deut. XXXII, 43, quae vero ecclesiastico usu adaucta et variarum versionum permixtione conflata esse possit. Ceterum vestigia textus non deserunt, poe-

ticam potius et ipsi orationem in canticis reddere conantur, qua de re infra dicendum.

Tanta denique fuit perspicuitatis cura, tamque parilis per omnes praelongi operis partes, tanta passim perspicuitatis ergo sumta licentia, ut si totum volumen percurreris, paucissimis versiculis offendaris, qui Interpretum culpâ propter singulorum vocabulorum vim et nexum obscuritate laborent. De quibus Töplerus in calce libelli dixit. Distat ea ratione a Pentateuchi translatione aliorum librorum, Psalmorum praesertim versio, ab elegantia et perspicuitate multo longius remota.

§. 11.

Haec dicta sunto de ea licentia, qua LXX difficultatibus grammaticis in textu Hebraico propositis sese expedire consueverunt. Qua in re si quid peccant, et ignorationem veri sensus et suum perspicuitatis studium produnt. Sequitur ut de alius generis licentia dicamus, qua ipsas sententias satis intellectas, suae theologiae vel philosophiae studio permoti, scientes permutarunt et partim detorserunt. Praeterire liceat nimis intricatas quaestiones de *Patriarcharum vitis*, quarum anni in Hebraico, in Samaritano textu inque Alexandrina versione diversi recensentur; de 430 annis, quos Israelitae *habitarunt in Aegypto* Exod. XII, 40, ubi καὶ ἐν γῇ Χαναὰν LXX addunt; de 70 animabus cum Jacobo in Aegyptum profectis, quas οἱ ὁ Gen. XLVI, 27, Exod. I, 5 (et S. Stephanus Act. VII.) *quinque et septuagintá* faciunt, Deut. X, 22. septuagenarium

numerum relinquentes. Id unum de his profitear, non abhorrere a nostrorum ingenio, si quis statuat, eos non imprudentes sed consulto numerorum rationem in textu Mosis exhibitam in tantum deseruisse. Porro id dudum criticis observatum est, quod LXX. nec non Chaldaei interpretes atque ipse etiam Samaritanorum codex ea, quibus Deo tribui videbantur aut *affectus humani* aut *corpus corporisque humani membra*, evitant et removere conantur, quum Judaei κατὰ ἀνθρώπων πάθη et ἀνθρώπου μορφὴν de Altissimo loqui maximopere vereri coepissent. Exstat de his peculiaris clari Jo. Henr. Hottingeri dissertatio. Nemo autem Interpretum veterum violentiora huno in finem contra sacratissimum Verbi Divini modum dicendi videtur ausus esse, quam Alexandrini, qui peculiaria dogmata philosophiae Judaeorum Alexandrina, cujus Philo primarius scriptor, praelibaverant. Cujus tantae audaciae documenta gravissima reperias Gen. VI, 6. 7. Ex. XVIII, 8. XXIV, 10. 11. XXXII, 12. Num. XII, 8. Deut. XXIX, 19. — Ib. c. XXXII. pro צוּר semper Θεός. Ubi אֱלֹהִים cum plurali construitur neque intelligi potest de falsis diis, apud nostros singularis: Gen. XX, 13. Ex. XII, 8. Haec vero e Pentateucho adnotanda quoniam in multis libris circumferuntur, placet eorum expositione hoc loco supersedere et alia pauca eaque leviora, quae priores fortasse fugerunt, adjicere.

Deut. XIV, 23. ἐν τῷ τόπῳ ᾧ ἐὰν ἐκλέξηται ὁ Θεός σου, ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ, ubi est לְשַׁכֵּן שְׁמוֹ שָׁם *ut habitare faciat nomen suum*

ibi, ubi Onkelos: *ut collocet majestatem* (Schechinam) *suam ibi.*

Tremendas Domini *minas* nonnunquam temperant; certe dirum illud praeceptum de suspendendis omnibus populi ducibus, qui ad Baal Peor defecerant Num. XXV, 4 ita mitigant, ut παραδειγμάτισον αὐτούς lenius verbum adhibeant, quod alii monuerunt. — Deut. XIII, 8 *si quis ad idololatriam te seducere tentat, ne ei parcas, neve eum occulas*, v. 9: ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς περὶ αὐτοῦ, pro תָּהֳרֹג תַּהֲרֹגֶנּוּ. — Exod. XIX, 22. *fac saeptum, ne montem tangant* μήποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν Κύριος פֶּן־יִפְרֹץ בָּהֶם יְיָ. — Gen. X, 15. *Canaan esto* παῖς οἰκέτης עֶבֶד עֲבָדִים. — Exod. IX, 16. ἕνεκεν τούτων διετηρήθης, ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου. בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ S. Apostolus: εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ἵνα κτλ. Rom. IX, 17. — Lev. XVIII, 25. καὶ προσώχθισεν ἡ γῆ τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπ' αὐτῆς וַתִּקָּא *et evomuit* cf. v. 28. — Ib. XIX, 7. *si quid* (*de sacrificio relictum*) *tertia die comedetur* ἄθυτόν ἐστι פִּגּוּל הוּא *bdelygma est.* — Deut. VII, 16. καὶ φάγῃ (Israel) τὰ σκῦλα πάντων τῶν ἐθνῶν Hebr.: *et comedes omnes gentes.* — Huc denique refer, quod a multis citatum est Exod. XV, 13. Κύριος συντρίβων πολέμους *conterens*, i.e. *exstinguens bella*, אִישׁ מִלְחָמָה.

Accedit, quod etiam *humanorum* factorum et dictorum quorundam *atrocitatem diminuunt:* Deut. XVIII, 10. οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἢ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρί מַעֲבִיר בְּנוֹ־וּבִתּוֹ

(cf. Theodoretum, quaestionibus in III. Regum.) item alia de abominabili idolorum cultu dicta: Deut. XXXII, 17. ἔθυσαν δαιμονίοις καὶ οὐ Θεῷ לַשֵּׁדִים siquidem probabile est, quod Dähnius vult, δαιμόνια eo loco non malo sensu dicta sed medio. Lev. XVII, 7. οὐ θύσουσι τοῖς ματαίοις לַשְּׂעִירִים ib. ἀπὸ τοῦ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι לַהֲעֲבִיר לַמֹּלֶךְ cf. ib. XX, 2. 3.

§. 6. 12

Praeterquam quod οἱ ὁ quae humana videbantur de Deo dicere veriti sunt, nonnullos insuper alios eorum locos dogmata Alexandrinorum peculiaria resipere, Hodius olim aliique animadverterunt. E. g. quod pro sanctissimo Dei nomine, ἀῤῥήτῳ et ἀποῤῥήτῳ et ipsis viso (ut ipsorum versio testatur Lev. XXIV, 15 ὀνομάζων δὲ τὸ ὄνομα Κυρίου θανάτῳ θανατούσθω) ubi Κύριος substitui non poterat, Exod. III, 14 bis ὁ ΩN posuerunt. Sed nuper demum quae huc pertinent omnia collecta et illustrata sunt ab Aug. Ferd. Daehne Theol. in Univ. Hall. Licent. in libro, qui inscribitur: ***geschichtliche Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religionsphilosophie*** (Halae 1834, part. II. cap. I.). Quem ut adeant ubi lectores monuero, nihil mihi reliquum est, nisi ut iis, quae vir doctus disseruit, spicilegii loco observationes meas pauculas subjungam.

Negare non possum, τοὺς ὁ, sicut post eos Philo, ***duas*** statuere ***creationis historias*** de duplici creatione, una spirituali, qua res modo invisibili κατὰ

γένη creatae sint, et altera visibili, qua singula quaeque ideas suas antea creatas imitantia facta; elucere id videtur e Gen. I, 2. II, 5. 9. 19. At quod Dähnius versum 11. quoque adhibet (l. l. pag. 14) et κατὰ γένος ibi quoque additum, deinde transpositum monet, nolim equidem ei rei tantum tribuere; quidni enim poterat (ut innumera ejusdem modi) formula לְמִינֵךְ versus explendi et reliquis aequiparandi causa inseri? porro quid καθ' ὁμοιότητα item additum pertineat ad Alexandrinam istam opinionem, velim ne reticuisset!

Id vero mihi non persuasit, Interpretes nostros etiam *Evae creationem* per allegoriam intellexisse de origine τῆς σαρκός et *serpentem* perhibuisse τὴν ἡδονήν. Argumenta omnia, quae affert nimis infirmia mihi quidem videntur! (pag. 17 sqq.)

a) Infirmissimum quod Gen. II, 21 dixerunt: *Dominus desumta costarum Adami una* ἀνεπλήρωσεν ἀντ' αὐτῆς σάρκα, nam quid aptius pro Hebraicis וַיִּסְגֹּר בָּשָׂר תַּחְתֶּנָּה *et clausit* h. e. *ita ut claudere-tur imposuit* quasi operculum hiatui, *carnem* (abest articulus) *loco ejus* scil. costae. Idem profecto in hac re est claudere hiatum superducta carne, et lacunam factam explere carne substituta loco costae (ἀντ' αὐτῆς). —

b) Ib. v. 16. 17. a *singulari* φαγῇ (φάγῃ scribendum) in re *licita* transitur ad *pluralem:* οὐ φάγεσθε — ἀποθανεῖσθε in re *vetita*. Sane id in suum usum Philo potuit convertere, sed quid si per eam conformandi inter sese omnia curam, de qua infra erit dicendum, plurales illi e c. III, 3. huc trans-

lati, ubi eadem Dei verba ab Eva in plurali recitantur? —

c) Deinde Dähnius argumenti loco (pag. 21) citat, c. III, 12. legi ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ, quae (accuratissime apta Hebraicis) quia genio linguae Graecae nimis repugnare opinatur, ideo singulare aliquid ab Iatt. quaesitum vult, id nempe quod Philo elicuit. Quam rationem non possum non demirari. Ubi legeris ea quibus exposituri sumus, quam insueta nonnumquam audeant. Nostri, et perlustraris quos alibi congessuri sumus Hebraismos in relativas sententias a Nostris receptos, longissime aberis, quin cum Dähnio istud ἣν ἔδωκάς μετ' ἐμοῦ a tota indole hujus versionis abhorrere existimes. Quare is locus minime demonstrat, τοῦς ὁ aliud quid in mente habuisse quam quod verba textus sonant. —

d) Deinde Philonianam suspicatur opinionem Dähnius in voce ἔκστασιν, qua c. II, 21. תַּרְדֵּמָה exprimunt, alibi etiam a Symmacho et Theodotione ita versum. Nolo urgere, quod Hesychius habet: ἔκστασεν, ὕπνον, φόβον. Id contenderim, quia reliqua allegoriam nullam produnt, neque esse quod illam ἔκστασιν ad Philonis sensum, ex allegorica totius historiae explicatione audacissima fluentem, trahamus. Vocabulum Hebraicum significat non somnum naturalem solitumque sed singularem quendam et insuetum; cf. Gen. XV, 12. h. l. certe eum, ex quo Adamus ne quidem desumta corpori costa expergefactus est. Cui sopori quod nomen, obsecro, magis proprium quam ἔκστασις, qua anima corpore relicto alio rapi significatur? —

e) Praeterea ad fulciendam suam hypothesin Dähnius (pag. 21. 22.) ad *Protevangelium* Gen. III, 15. confugit et quum masculinum in versione stet: αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν (non αὐτὸ ad τὸ σπέρμα τῆς γυναικός accommodatum) Philonis interpretamento permotus perhibet secundum ipsos Versionis auctores neminem nisi νοῦν sub illo αὐτός, et ἡδονὴν sub illo σὺ latere, quo Dominus serpentem alloquitur. Missum equidem facio, quod de *Adamo* (qui Philoni ὁ νοῦς est) omnino omnia Dei ad serpentem verba nullam fecerant mentionem. Rogatim: quid tandem Nostri cogitarint, quum ejusdem versiculi verba praecedentia transferrent: καὶ ἔχθραν θήσω ἀναμέσον σοῦ καὶ ἀναμέσον τῆς γυναικός, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος σοῦ καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς—? quid quod intactam relinquunt insensatam inter σάρκα (Evam scilicet) et ἡδονὴν (serpentem) et utriusque inter semen inimicitiam? quidni etiam γυναῖκα et pronomen αὐτῆς sustulerunt? Respondebit Dähnius fortasse, aliud quid sub semine mulieris intellexisse, diversam ejus seminis naturam a natura ipsius feminae, nescio qui. Ingeret cum Philone: utut priora se habeant, nihilominus cur αὐτὸς dixerint non αὐτὴ (ἡ γυνὴ) non αὐτὸ (τὸ σπέρμα) „*perspici non posse.*“ Respondeo, pace Philonis, potest perspici, quin nihil inest inusitati. Magna est copia locorum Pentateuchi, quibus relativa et adjectiva ad ἔθνη referenda, ad ψυχὴ masculinum genus habent. Cur Nostris non liceat, quod licuit poetae, qui φίλε τέκνον scripsit? Neque enim in ulla lingua absonum, post neutrum aliquod, si

de persona masculina dictum est, ponere masculinum, praesertim ubi nova incipit enuntiatio. Sic nos a nominibus generis neutrius, quae feminam significant (*Weib*, *Mädchen*) in femininum pronomen (*sie*) transimus. Perspici, credo, poterit, cur αὐτὸς dixerint; nisi forte probari potuerit, τοὺς ὁ nullam ex omnibus promissionibus huic primae promissioni cognatis de Salvatore personali accepisse, et spe totius Ecclesiae Veteris Testamenti prorsus fuisse destitutos. —

f) Reliquum est ibid. verbum τηρήσει, indicandae omni observationi insidiosae idoneum, quod cum de nulla paene pugna spirituali diuturna dici non possit, non minus poterit de hac pugna dictum esse, quam de mentis carnisque dissidio, ut Philoni Dähnioque visum. —

g) Restant, quae dilutis praecedentibus levissima sunt, Dähnii probamenta duo: Gen. III, 17. habemus poenam Adamo nuntiatam: ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου quamvis Hebr. sit בַּעֲבוּרֶךָ h. e. ἕνεκα σοῦ. Errore levissimo et creberrimo legerunt vel legere, si id praeplacebat, exigua mutatione potuerunt: בַּעֲבֹדָךְ h. e. i. q. בַּעֲבָרְךָ ἐν τῷ ἐργάζεσθαί σε sive ἐν τοῖς ἔργοις σου. Commendabat hunc sensum Lamechi spes et querela Gen. V, 29. Nihil hic miri. Sed quid Philo argutetur audi: non ipsum Adamum, qui sit ὁ μέσος νοῦς, sed terram, quae sit ἡ ὅλη ψυχή, κατάρᾶσθαι, propter opera ejus poena affici. Philo igitur monet, quod in textu sacro (—Hebraico aeque ac Graeco—) ἡ γῆ subjectum est, non σύ, sed quid Dähnius? τοὺς ὁ, ne peccaminosus

declararetur ὁ νοῦς, posuisse non ἕνεκα σοῦ sed ἐν τοῖς ἔργοις σου. At opinor is qui fecit τὰ ἔργα σου, σὺ es; et si *propter opera tua* (nam ἐν Philoni et secundum Dähnium etiam τοῖς ὁ perinde est ac *propter*) aliquem aliquo malo afficio, is certe queri poterit, se *tua causa* male affectum. Jam, quid intersit num ἕνεκα σοῦ an ἐν τοῖς ἔργοις σου dixerint, fateor me ignorare. — Denique de Gen. III, 14. quid dicam? serpens ibi jubetur ventre incedere, LXX bifariam: ἐν τῷ στήθει σου καὶ ἐν τῇ κοιλίᾳ σου. Mera amplificatio videtur (nam serpenti quidem στῆθος et κοιλία fere idem sunt!), nescio unde hausta, sed non nimis mira. Atqui Philo, quandoquidem serpentem τὴν ἡδονὴν esse autumavit, his verbis voluptatis sedem duplicem in pectore et ventre significatam contendit. At τοὺς ὁ hanc doctrinam propinare atque adeo hominis τριχοτομίαν h. l. docere voluisse (ut Dähnius contendit pag. 59), quis credat, nisi antea firmissimis argumentis fuerit evictum, quod evictum non est, eos serpentem ipsum de voluptate, atque Evam de carne intelligi voluisse. Nec plus equidem de illa trichotomia video Deut. XXX, 14.

In reliquis ejusdem capitis Dähnius gratum me habuit et consentientem. Attamen discedere non possum, quin lectionem Dähnio suspectam et tentatam, grammatica observatione defendam. Pag. 56. adn. in eo versatur, ut illustret, qua ratione οἱ ὁ summam illam Theophaniam, quae Mosi contigit Exod. XXXIII, suae rationi accommodent. Verba Domini v. 19. ita vertunt ἐγὼ παρελεύσομαί πρότερός σου τῇ δόξῃ μου, deinceps v. 20. οὐ δυνήσῃ ἰδεῖν τὸ

πρόςωπόν μου. Illud σου Dähnius exturbare conatur, quia nullam explicationem recipere posse videtur. At optimum est, usui nostrorum prorsus conveniens, eoque perspecto facillimum. Ita enim solent scribere, ut πρότερός σου idem sit, quod πρὸ σοῦ לְפָנֶיךָ quocum h.l. עַל־פָּנֶיךָ confuderunt, Num. XXXII, 17. παρελευσόμεθα πρότεροι τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, Deut. I, 22. ἀποστείλωμεν ἄνδρας προτέρους ἡμῶν ib. 33. ὃς προπορεύεται πρότερος ὑμῶν ἐν τῇ ὁδῷ. Ubique לִפְנֵי ac si plura desideras, decem insuper exempla praesto sunt in Trommii concordantiis s. v. πρότερος.

Illis igitur omnibus, quae perspicuitatis studio adducti LXX posuerunt, et his quae suae philosophiae gratia mutare ausi sunt, satis monemur, ne eorum versione abutamur ad sollicitandas Hebraici textus lectiones eas, quae pertinent ad primum genus discrepantiarum Hebraici et Graeci codicis, in singulis verbis eorumque sensu positarum.

§. 13.

Alterum discrepantiarum Hebraici et Graeci codicis genus id est, quo pertinent numerosa apud LXX Interpretes ADDITAMENTA et omissiones, quae quidem additamentis longe sunt pauciores. Additamenta pleraque eadem in Samaritano Pentateucho leguntur. Quae ita sunt comparata, ut non sententias novas et alienas adsciscant, sed ut alterum locum ex altero amplificent, locosque inter sese similes prorsus exaequent, et textus faciem conformem sibi et undique constantem reddant.

perta habeamus, restat ut ex ipsa τῶν ὁ *methodo*, quam in vertendo Pentat. secuti sunt, quaeramus argumentum. Investigandum ex iis, quae procul dubio a LXX interpretibus profecta sunt, num τοῖς ὁ moris sit, locos locis exaequare et sententias easdem iisdem semper verbis pronuntiare. Quodsi istud conformandi studium ne ibi quidem ab iis abesse viderimus, probabilius fuerit, etiam additamenta completoria ipsis Interpretibus esse tribuenda. Atqui omnino contrarium ostendemus iis esse studium, non conformationis sed VARIATIONIS, idque tam constans, tam penitus insitum, tam crebro conspicuum, ut in nulla Pentateuchi parte non prae se ferant.

§. 14.

Proprium est styli Hebraici, ut non pigeat scriptorem eadem iisdem semper verbis repetere, neque aversetur μονοτονίαν illam, quae saepius gravitati et majestati Revelationis Divinae mire est apta. Ipse vero ita fert linguae Hebraicae genius, quae quum vocabulorum ad res spirituales significandas sit copiosissima, res externas propriis verbis et phrasibus iisdem semper solet exprimere. Valde diversa est nostrarum linguarum ratio, praesertim Graecae, cui synonymorum vocabulorum, verborum varie compositorum, nominum derivatorum, praepositionum sensu similium, variarum ad easdem sententias pronuntiandas phrasium et constructionum magna est abundantia. Unde Graecorum auctorum elocutio divitiis suis utens varietati structurae

studens Hebraicae perquam dissimilis. Graeci igitur interpretes textus sacri μονοτονίαν, Graecis minime consuetam et Graecae linguae minus convenientem, in librorum Mosaicorum versione usque quaque devitant. Qua re alibi elegantiam captant, alibi ipsam perspicuitatem sequuntur, operamque navant, ut alteram dictionem alterâ reddant dilucidam. Haec vero eorum consuetudo, quum a viris doctis neglecta videatur, ad cognoscendam autem versionis methodum adque constituendos canones criticos magni sit momenti, non taedet eam latius exponere. Minime quidem desunt exempla (proponenda a nobis alio loco) variati a Nostris Hebraismi, quum idiomatis Hebraici paene cujusque et hebraizans translatio citari possit, et liberior atque ἑλληνικωτέρα παράφρασις. Hoc autem loco, per totam Nostrorum versionem non modo Hebraismorum sed omnis generis dictionum (etiam facillimarum) VARIATIONEM regnare demonstrandum est. Proponamus igitur non omnia, (omnia enim congerere infinitum fuerit) sed aliqua ex omni libro exempla. Hebraica vocabula brevitatis causa non semper exscribimus, verum sunt eadem Graecis vocabulis diversis translata. E GENESI VII, 19. ***aqua diluvii*** ἐπεκράτει v. 24. ὑψώθη. — XIII, 18. ἀποσκηνώσας, quod v. 12. ἐσκήνωσεν. — XVII 4. πλήθους ἐθνῶν, v. 5. πολλῶν ἐθνῶν. — XVIII, 44. εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον כָּעֵת חַיָּה v. 10. κατὰ τὸν κ. τ. addito: εἰς ὥρας. — Ib. v. 27. νῦν ἠρξάμην λαλῆσαι, v. 31. ἐπειδὰν ἔχω λαλῆσαι. — XIX, 13. ἐκτρίβειν quod paulo ante et c. XVIII. extr. ἀπολέσαι. — XX, 3. ἐν ὕπνῳ בַּחֲלוֹם, v. 6. 11. 24. καθ' ὕπνον, ו׳.4

XXXI, 10. ἐν τῷ ὕπνῳ. — XXII, 7. τί ἐστιν; הִנֵּנִי at v. 11. ἰδοὺ ἐγώ. — XXIII, 17. ἔστη, quod ע. 20. ἐκυρώθη. — XXIV, 16. *Rebecca* καλὴ τῇ ὄψει, supra de *Sara* εὐπρόσωπος. — XXVI, 13. uno versiculo ter גָּדַל verbum: ὑψώθη, μείζων ἐγένετο, μέγας ἐγένετο. — Ib. v. 29. μὴ ποιῆσαι μεθ' ἡμῶν κακὸν — καθ' ὃν τρόπον ἐχρησάμεθα σοὶ καλῶς, Hebr. ibi bis eadem locutio. — XXXI, 33. ἠρεύνησεν εἰς τὸν οἶκον, τὸν οἶκον et ἐν τῷ οἴκῳ, Hebraice ter בְּאֹהֶל. — Ib. 41. ἐδούλευσά σοι ἀντὶ τῶν θυγατέρων σου καὶ ἐν τοῖς προβάτοις σου, utrumque בְּ. — XXXIII, 14. לְרֶגֶל κατὰ σχολὴν et κατὰ πόδα. — XXXVII, 3. ἠγάπησε παρὰ πάντας τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ, v. 4. ἐκ πάντων τῶν υἱῶν αὐτοῦ, utrumque מִן־ — XXXVIII, 17. ἔριφον αἰγῶν, v. 20. τὸν ἔριφον ἐξ αἰγῶν. — Ib. v. 27. καὶ τῇδε וְהִנֵּה v. 29. καὶ ἰδού. — XXXIX, 2. ἐπιτυγχάνων v. 3. εὐοδοῖ. — Ib. v. 20. ὀχύρωμα quae cap. sq. v. 3. φυλακή. — XL, 5. ὅρασις, XLI, 11. ἐνύπνιον. — XLIII, 12. בִּידֵכֶם μεθ' ὑμῶν et ἐν ταῖς χερσὶν ὑμῶν. — Ib. 15. διπλοῦν, quod modo δισσόν. — XLIV, 28. θηριόβρωτος, supra θηριάλωτος. — Ib. v. 33. παῖς et οἰκέτης, alias passim etiam θεράπων, omnia pro עֶבֶד. — XLV, 10. πάντα ὅσα ἐστί σοι, at v. 11. liberius: πάντα τὰ ὑπάρχοντά σου. — XLVII, 22. חֹק δόσις, v. 26. πρόσταγμα. — L, 17. ἄφες et δέξαι τὴν ἀδικίαν עָוֹן. — Ib. v. 21. ἐλάλησεν εἰς τὴν καρδίαν, quae XXXIV, 3. ἐλάλησε κατὰ τὴν διάνοιαν עַל־לֵב. Omitto alia. —

Ex Exodo

Cap. I, 15. τῇ μιᾷ αὐτῶν ἦν ὄνομα Σεπφώρα καὶ

τὸ ὄνομα τῆς δευτέρας Φουά. — Saepius: Ἰησοῦς υἱὸς Ναυῆ καὶ Χαλὲβ ὁ τοῦ Ἰεφσυννῆ. — III, 21. ὅταν δὲ ἀποτρέχητε οὐκ ἀπελεύσεσθε κενοί, bis תְּלֵכוּ. — IV, 13. προχείρισαι — ὃν ἀποστελεῖς Hbr. *mitte quem mittes.* — V, 3. 8. πορευσώμεθα, ἐγερθῶμεν, v. 17. πορευθῶμεν. — Ib. v. 17. σχολάζετε, σχολασταί ἐστε. — VI, 20. ἐγέννησεν αὐτῷ, 23. ἔτεκεν αὐτῷ. — Ib. v. 12. ἄλαλος, v. 30. ἰσχνόφωνος עֶרֶל שִׂפָתַיִם. — IX, 18. νῶ χάλαζαν, v. 23. κύριος ἔβρεξε χάλαζαν. — XII, 19. τοῖς γεώραις καὶ αὐτόχθοσιν, iidem v. 49. τῷ ἐγχωρίῳ καὶ τῷ προσηλύτῳ. — XIII, 7. οὐκ ὀφθήσεταί σοι ζυμωτὸν οὐδὲ ἔσται σοι ζύμη, ubi bis יֵרָאֶה. — Ib. v. 21. 22. τὴν νύκτα — νυκτός. — XIV, 2. ἀπέναντι et ἐξ ἐναντίας לִפְנֵי. — Ib. פָּרָשִׁים v. 9. ἱππεῖς, v. 17. ἵπποι, v. 23. 26. 28. ἀνάβάται. — XVI, 8. (γογγύζετε) ἐπὶ τῷ Θεῷ et κἀθ' ἡμῶν, utrumque pro עַל. — Ib. XX, 14—17. sicut Deut. V, 21. in decimo praecepto, quod incipit οὐκ ἐπιθυμήσεις, mire variant 1) accusativi et gen. 2) οὐδὲ et οὔτε. — Percommoda variatio Exod. XXIV, 6, 8: *Moses alteram sanguinis victimarum partem* προσέχεε πρὸς τὸ θυσιαστήριον, *alteram* κατεσκέδασε τοῦ λαοῦ (utrumque זָרַק עַל). — XXVI, 3. πέντε αὐλαῖαι ἔσονται ἐξ ἀλλήλων ἐχόμεναι ἡ ἑτέρα ἐκ τῆς ἑτέρας καὶ πέντε αὐλαῖαι ἔσονται συνεχόμεναι ἑτέρα ἑτέρᾳ Hebr. bis eadem verba; Alex. cod. περιέργως tollit variationem. — Alias in legibus phrasium variationes v. ib. XXI, 29. 35. 36. et cett. Sed jam desisto ab Exodo, eque reliquis pauciora protulisse contentus ero.

E Levitico,

Simplex legum enarratio temperatur, pro καὶ (si substantiva enumerantur) hic illic posito σύν, et loco verbi finiti immixto participio, — e. g. III, 10. περιελών, IV, 5. λαβών. — Cap. V. עֹלָה v. 7. ὁλοκαύτωμα, v. 10. ὁλοκάρπωμα, VI, v. 38. etiam ὁλοκαύτωσις. — V, 10. ἁμαρτία, quod modo περὶ ἁμαρτίας et v. 17. τὸ τῆς ἁμαρτίας חַטָּאת. — XI, 3. 4. 26. ὀνυχιστῆρας ὀνυχίζων (*animal ungulas fissas habens*) at v. 7. ὀνυχίζει ὄνυχας. — XIII, *macula* (leprae nota) *erit* עָמֹק מֵעוֹר v. 3. et alibi: ταπεινὴ ἀπὸ τοῦ δέρματος, v. 30. 31: ἐγκοιλοτέρα τοῦ δέρματος, v. 32. 33: κοιλὴ ἀπὸ τοῦ δέρματος. — XIV, הַמְטַהֵר v. 11. cett. τοῦ καθαριζομένου, v. 18. 19. parum apte, sed variationis ergo: τοῦ καθαρισθέντος. — XVI. memorabilem vocem de altero hoedo, qui dimittendus est לַעֲזָאזֵל trifariam vertunt: v. 8. τῷ ἀποπομπαίῳ, v. 10. εἰς τὴν ἀποπομπήν, v. 26. (τὸν χίμαρον) τὸν διεσταλμένον. — XX, 17. ἁμαρτίαν κομιοῦνται עֲוֹנוֹ יִשָּׂא quae formula passim: ἁμαρτίαν λήψεται, ib. v. 19: ἁμαρτίαν ἀποτίσονται. — XXIV, 2. 8. διαπαντός, v. 3. ἐνδελεχῶς. — XXV, 10 atque 11. ἁγιάσετε τὸ ἔτος, τὸν πεντηκοστὸν ἐνιαυτόν. — Ib. 45. εἰς κατάσχεσιν, v. 46. κατόχιμοι. — XXVI, 34. εὐδοκήσει ἡ γῆ τὰ σάββατα αὐτῆς, v. 43. προσδέξεται.

E Numeris,

Cap. V, 19. ὑπὸ τὸν ἄνδρα — v. 20. ὕπανδρος οὖσα. — VI, 13. 21. ὁ νόμος τοῦ εὐξαμένου הַנָּזִיר, qui interea passim ὁ ἡγμένος. — IX, v. 2. καθ' ὥραν αὐτοῦ, v. 3. κατὰ καιρούς, v. 7. κατὰ καιρὸν αὐτοῦ. —

XXII. occurrit Angelus Domini Bileamo לְשָׂטָן לוֹ διαβαλεῖν αὐτῷ, at v. 32. εἰς διαβολήν σοι. — XXVIII, 18. ἐπίκλητος ἁγία, v. 25. alibi κλητὴ ἁγία מִקְרָא קֹדֶשׁ. — XXXV, 6. τῷ φονεύσαντι, v. 11. τὸν φονευτήν. — Ib. φυγαδευτήρια, v. 15. φυγαδεῖον, denique v. 27. 28. καταφυγή.

E Deuteronomio,

Cap. IV, 36. οὐχὶ, πολυχρονιεῖτε ἡμέρας, v. 40. ὅπως μακροήμεροι γένησθε. — IX, 6. οὐχὶ διὰ τὰς δικαιοσύνας σου, modo antecesserat singularis. — XVI, 13. ἑορτὴ σκηνῶν, v. 16. ἑορτὴ τῆς σκηνοπηγίας. — XIX, 6. גֹּאֵל הַדָּם ὁ ἀγχιστεύων τοῦ αἵματος, qui Num. XXXV, 10. 21 ἀ. τῷ αἵματι, v. 12 ἀ. τὸ αἷμα. — XX, 14. bis שָׁלָל: ἀπαρτία, προνομή. — Ib. v. 19. χάρακα, v. 20. χαράκωσιν. — XXII, 19. ἐξήνεγκεν ὄνομα πονηρόν prorsus ut Hebr. at v. 14. 17. ἐπιθεῖναι προφασιστικοὺς λόγους, eleganter. — XXX, 12. 13. elegantissime ἀκούσαντες et ἀκουστήν. — XXXI, 27. ἔσχατον τοῦ θανάτου μου et τῆς τελευτῆς μου.

§. 15.

Possemus ex his, si Hodii rationem sequi placeret, sive recentiorum quorundam subtilissimus nobis esset odoratus, sexcentos agnoscere diversos Interpretes, non singulorum modo versuum, ut illi videbatur, sed, quod plus est, singularum etiam vocularum. Sed praeplacet inde cognoscere, τοὺς οβ′ in Pentateucho eam sibi scripsisse legem eamque unanimes consulto secutos esse methodum interpretandi, ut μονοτονίᾳ Hebraicae undique adhi-

barent variationem. Atque ex ipsa hac variationis consuetudine, quam in nullo capite non animadverti confidimus, constans iis consilium, unum animum, unam eandemque methodum fuisse apparet. His consideratis plura non erunt dicenda de eo, quod Theoph. Plüschke recentissimus auctor (*De emendando Pentateucho Graeco LXX Intt. et inde Hebraico*, *Bonnae* 1837.) Gen. 1, 1. et decem aliis Geneseos locis (quotiens בָּרָא ibi legitur) non בָּרָא a Nostris lectum neque ita primitive scriptum fuisse conjectat, quia LXX nonnisi uno loco (Pentateuchi) Deut. 4, 32. בָּרָא reddiderint κτίζειν. Atque ideo in Genesi, ubi ποιεῖν ponunt, ibi עָשָׂה scriptum fuisse judicat, et c. II, 2. ubi ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιεῖν (liberius pro אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת הַחֵל) reponere vult, pro quo „argumentum non aliud habeo, inquit pag. 26, quam consuetudinem Alex. Interpretis satis constantem, quae *constantia* (si passim desideretur in locis intricatioribus aut male affectis) *aut raro aut nunquam* deficit in summa verborum Hebraicorum simplicitate et perspicuitate“ h. e. ubi textus Hebr. non praebet difficultates grammaticas. Demonstrata a nobis *variatione* videat ille, quae sit *constantia*, qua nititur eadem illa pagina, ubi Winero concedit, ante omnia versionum „ingenium curatius examinandum esse ac dijudicandum, ut quam secuti sint auctores interpretandi rationem cognoscas penitusque perspicias.“

Illam igitur variandi consuetudinem cum perspicuitatis, tum elegantiae studio permoti, ni fallor, adciverunt nostri, quo lenirent insuetam et

molestiorem Graecis auribus μονοτονίαν, eadem eodem usque modo dicentem. Quod si iis curae fuit, persuadere mihi non possum, *additamentorum* istorum numerosum gregem, quae faciunt ad textum sibi ubique conformandum, quaeque sententias inter se similes omnino pares, et si quae breviores sunt plenioribus aequales reddunt, ab iisdem auctoribus esse profectum, qui in contrarium ubique nitentes deprehenduntur. Putabo, additamenta illa, si qua non a Graecis demum librariis sunt illata, ea imprimis, pro quibus Samaritanus quoque testimonium dicit, fuisse *in ipso fonte*, e quo Versio Alexandrina manavit.

§. 16.

Elegantia sermonis Graeci a LXX Interpretibus non tantum variatione illa, de qua egimus, quaesita est, sed etiam praeter variationem in delectu vocabulorum et phrasium captata. Non eam dico elegantiam, cui Aristobulus, Philo, Josephus Judaei Graece scribentes studebant, phrases et periodos suas Graecorum usui, qui singulorum aetate valebat, κατὰ πάντα aptantes, quod studium a Nostrorum opere, quae est versio non paraphrasis, sane alienum. Id tantum volo, eos saepissime dictionum Hebraicarum vestigia eo consilio deseruisse, quo propius ad communem Graecorum loquendi modum accederent. Quod Aquilae interpreti omnino non erat curae, neque iis qui posthac primi Graecum Bibliorum corpus Latine transferre coeperunt. Singula autem quaeque e studio Graeci-

tatis (ne dicam elegantiae) nata enumerare Lexicographi esset, cognoscere lectoris ipsum Pentateuchum percurrentis, nostrum vero fuerit, paucis exemplis rem ipsam indicasse, quae ad methodum versionis institutae pertinet.

Aquila illud Mosis epitheton, quo se ipse vocat עֲרַל שִׂפָתַיִם vertit: *ἀκρόβυστος χείλεσι*, Nostri *ἄλαλος* et *ἰσχνόφωνος*. Nostri in Pentat. לְפִי חָרֶב *ἐνφόνῳ μαχαίρας* (e. g. *ἀποκτείνειν*) vertunt. לֵב pro varia locorum natura, si de hominis animo dictum saepe *διάνοιαν* dicunt, ubi de mari *ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης*, Deut. IV, 11. ubi ignis flagrasse narratur עַד־לֵב הַשָּׁמַיִם quod longe infirmius est ponunt: *ἕως τοῦ οὐρανοῦ* tropum Graecis inusitatum vitantes. Gen. XLV, 18. *φάγεσθε τὸν μυελὸν τῆς γῆς* tropus Graecus pro Hebraico חֵלֶב *adeps terrae*. Elegantiae tribuas studio, quod verba composita *βαρυθυμέω*, *ὀλιγοψυχέω*, *τροποφορέω* (id pro נָשָׂא Deut. 1, 31, de quo v. Biel. thesauro) et saepe propria et distincta pro iis quae latius patent adhibent, e. g. *οὐκ ἀποστέρξεις* לֹא־תֹאבֶה *τὴν καρδίαν σου* Deut. XV, 7, vocabulo exquisito; *βασκανεῖ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ* תָּרַע עֵינוֹ בְּאָחִיו ib. XXVII, 54.

Paronomasiam non infeliciter imitari conantur, *στένων καὶ τρέμων ἔσῃ* וָנָע וָנָד Gen. IV, 12., et Exod. XXXII, 18. ubi Josua Mosi clamore populi idololatrae audito: *οὔκ ἐστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ' ἰσχύν, οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τρυπῆς, ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου* (*αἴνου* Lamb. Bos. non male conjecit, male Bochartus *ὀνούθ*) *ἐγὼ ἀκούω*, ubi ter עַנּוֹת

Ad poeticam et sublimem orationem surgere tentant, ubi sententiae requirebant, in Canticis illis, quae libris Mosaicis continentur. Onkelosus eorum longas nectit circumscriptiones, Nostri abstinent, sed stylum ornatum affectant, etsi, quum pluribus parum intellectis et ipsi obscuriora reponerent, longissime nihilominus aberrant, quin summum illud ὕψος assequantur. Gen. XLIX. rhythmum certe v. 18. 20. 23. 24. agnosces, et poetica vocabula v. 26. ὑπὲρ εὐλογίας ὀρέων μονίμων καὶ ἐπ' εὐλογίας θινῶν ἀεναόων. Θῖνες vox vetustissima, Homero, Aeschylo usurpata, ἀέναος autem adjectivum in Pentateucho ter quidem legitur, sed non nisi poetice. Neque alibi usquam μόνιμος οἱ ὁ adhibuerunt. In Mosis cantico primo Exod. XV, de quo mire Josephus (Archaeol. l. II, c. 16, 4.) Μωϋσῆς ᾠδὴν, inquit, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν, poetice sonant articuli omissiones v. 4. 11. 13. 14. poetica vox τὰ κύματα, toto Pentateucho praeter eum locum non usurpata, sed tantum in poeticis aliorum librorum lucis (et cum rhetorica vi II. Macc. IX, 8).

In Bileami vaticiniis Num. XXIII. XXIV. poetica e. g. XXIV, 5. ὡς καλοὶ οἱ οἶκοί σου Ἰακώβ, v. 7. ἡ Γὼγ βασιλεία, verba inusitato modo collocata.

Deut. XXXII. in altero cantico Mosis v. 7. poetice dictum γενεῶν γενεαῖς, v. 11. poetica in usu temporum licentia, v. 15. libera personarum vicissitudo, libere etiam v. 35. 36. translati, v. 25. pro אֵישׁ שִׂיבָה (θηλάζων μετὰ) καθεστηκότος πρεσβύτου eleganter videtur electum pro eleganti.

In Mosis benedictione ib. XXXIII. praeter alia

poetica poetici sunt v. 14. (quamvis a vero sensu aberrans) et v. 26; v. 19. ἐμπόρια παράλιον· κατοικούντων, ubi poeticus verborum ordo, poeticum illud neutrum adverbii loco.

§ 17.

Si stylum Versionis Pentateuchi universum spectaveris, non omnium partium eundem invenies, nec vero partes diversas a diversis auctoribus translatas esse inde colliges, sed rem potius quam auctorem Hebraismorum admissorum vel omissorum in causa esse cognosces. Maxime hebraizare Pentateuchi stylum animadvertimus in genealogiis, in versibus nonnullis geographicis; deinde satis accurate indolem Hebraici textus imitari in legibus imprimis Levitici, in historiis e. g. de mundo creato; immuniorem ab Hebraismis et Graecis ingeniis fortasse jucundiorem putamus orationem earum historiarum, quae res in Aegypto gentas narrant, res Josephi (Gen. extr.) et Mosis (Exod. init.), ejus quoque quae de Bileamo agit Num. XXII sqq. et gravissimarum Mosis morituri exhortationum Deut. IV sqq. Denique omnium fere maxime ab imitatione exemplaris Hebraici abhorrent colloquiorum in historiis formulae:

Ex. XVIII, 7. καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους וַיִּשְׁאֲלוּ אִישׁ לְרֵעֵהוּ לְשָׁלוֹם. — Gen. XXXIX, 6. εἶπε δὲ αὐτοῖς (Josephus e fratribus de patre quaerens). ὑγιαίνει; הֲשָׁלוֹם לוֹ οἱ δὲ εἶπαν· ὑγιαίνει שָׁלוֹם. — Ib. XLIII, 27. וַיִּשְׁאַל לָהֶם לְשָׁלוֹם ἠρώτησε δὲ αὐτοὺς·

πῶς ἔχετε; atque ita prorsus hodieque Graeci interrogant, item nunc quoque si quid negant respondent οὐχί ut Num. XXXII, 30, sed mire LXX Gen. XXIII, 11. παρ' ἐμοὶ γενοῦ Κύριε לֹא אֲדֹנִי ib. v. 13. ἐπειδὰν πρὸς ἐμοῦ εἶ. Affirmatio εἴρηκας Ex. X, 29. ubi כֵּן דִּבַּרְתָּ. Rogationem inchoat δέομαι ib. V, 22. (ubi nihil in Hebr.) et XXXII, 31. ἀξιῶ σε, μὴ ὀκνήσῃς ἐλθεῖν Num. XXII, 16. אַל־נָא תִּמָּנַע מֵהֲלֹךְ. Elliptice: μήτι Κύριε, ἐὰν λαλήσω אִם יִחַר לַאדֹנָי Gen. XVIII, 30. 32. pro eodem: XXXI, 35. μὴ βαρέως φέρε, Κύριε. Si quis abire jubetur, solemne est βάδισον, βάδιζε, si venire, δεῦρο לְכָה־נָא Num. XXII, 17. ἀπόστα ἐκεῖ גֶּשׁ הָלְאָה Gen. XIX, 9.

Dativus ethicus in interrogatione: τίνες σοι οὗτοι; מִי אֵלֶּה Gen. XLVII, 8. Si quis vocatus est, respondet הִנֵּנִי τί ἐστιν; Gen. XXII, 7. (at v. 11. ἰδοὺ ἐγώ) XXXI, 12. XLVI, 3. — Formula רַב לָכֶם ἐχέτω ὑμῖν, ὅτι — Num. XVI, 3; ib. v. 7. et passim alibi ἱκανούσθω ὑμῖν. — Solemne est in recitandis insomniis הִנֵּה, pro quo LXX (Gen. XXXVII. XL. XLI.) ᾤμην, ᾤετο, καὶ ἰδού, καὶ ἰδοὺ ὥσπερ, καὶ ὥσπερ.

Sed jam satis de legibus, quas Interpretes in vertendo observarunt, diximus. Atque hic dissertationis hujus criticae finis esto, qua videmur ostendisse, quantopere LXX in Pentateucho transferendo textus perspicuitati et cum ipsorum opinionibus consensui, sententiarum varietati, sermonis elegantiae, stylo denique ad singulas operis partes ac-

commodando studuerint. Quibus peractis de *Alexandrina τῶν ὁ* dialecto, de *Hebraismis* in eam receptis tractatione alia grammatica exponendum, quam cum hac dissertatione cumque prolegomenis, quae nuper publicavimus, conjunctam in lucem paulo post speramus nos edituros. Hac vero dissertatione videmur demonstrasse, eam esse versionis Pentateuchi Alexandrinae indolem, ut ad explicandum quidem textum Masorethicum non parum conferat, ad mutandum vero nisi magna cum temeritate adhiberi nequeat.

LIBER SECVNDVS.

§. 1.

Expositurо, qua ratione Alexandrini illi interpretes Pentateuchum transtulerint, docendum est in primis, qui sit eorum stylus, quae oratio. In quo de duobus disserendum, primo, qua dialecto verterint textum originalem, deinde quomodo verba et sententias Hebraicas ea dialecto expresserint. Liceat igitur linguam eorum hoc libro per se spectare quoad materiam suam, absterso tanquam colore Hebraico, sepositis interim Hebraismis, de quibus postea dicturi sumus. Licet autem ita procedere, quia non phrasis sive elocutio dialectum efficit, sed singula vocabula eorumque forma, nec non syntaxeos σχήματα quaedam peculiaria. Ac quum propositum nobis sit, *methodum* exponere quam secuti esse LXX reperiantur, primam quasi et summam *legem* eos sibi scripsisse hoc quoque loco monemus eam, ut et verba et res, quam maxime fieri poterat in versione, redderent *dilucida et perspicua lectori Alexandrino.*

§. 2.

Atque id quidem inter omnes, qui hanc rem attigerunt constare videtur, *Atticae* dialecti scrip-

toribus *non* esse adnumerandos LXX intt. Veteris Testamenti. De Novo quidem Test. circa med. saec. XVIII acerrimae exarsere controversiae, num id inter auctores classicos Atticosque referendum, necne; cum idioticum ejus stylum et Hebraismis refertum esse contenderent, quos Hebraistas, Atticismum et Graecitatis elegantiam ei vindicarent, quos Puristas solent appellare. Quae lites, quum et apud Winerum (in gramm. N. T. §. 1.) breviter enarratae sint, et opuscula virorum tunc certantium praecipua pleraque legi possint in duobus de stylo Novi T. syntagmatibus, quae init. saec. XVIII Rhenferdus et van den Honert ediderunt, hoc loco indicasse tantum sufficiat. Sed quotquot exstiterunt etiam saeculi XVIII parte priori Atticae puritatis N. Ti. vindices, nemini tamen, quantum scimus, in mentem venit, etiam LXX intt. nomine Atticismi et Graecitatis purioris laudare, quod consentaneum certe erat judicio de N. T. oratione lato. Quamquam illorum nullus hanc rem ex professo tractavit praeter Jo. Conr. Schwartzium gymnasii Coburgensis rectorem. Quem Puristis moderatis adnumerare non dubitamus, etsi peculiarem adversus Hebraistas librum nullum edidit. Nam in adnotationibus ad Jo. Olearii librum de stylo N. Ti, cujus novam editionem anno 1721 curavit et Ern. Val. Löschero Pietistarum adversario primipilari dedicavit, studia sua non obscure prodidit. Saepenumero enim, quos Olearius Hebraismos notat in oratione N. Ti. obvios, eis in animadversionibus subscriptis Schwartzius Graecitatem et Atticam puritatem conatur vindicare, inepte detortis saepius

quam apte citatis auctorum profanorum similibus sententiis. Probabile nobis est, Schwartzium stetisse a parte defensorum theologiae Lutheranorum orthodoxae post Pietistarum lites magis magisque depravari coeptae et ad deplorandum finem jamjam properantis; eorum dico, qui demonstrare et rationibus idoneis probare volebant dogmata omnia, et quum irregenitis quoque veram inesse posse theologiam statuerent, rationali via et philosophica argumentatione veritati orthodoxae fidem parare infausto conatu nitebantur. Ejusmodi quum etiam Schwartzii fuisse videatur voluntas, ab ea minime alienum est, quod etiam homini profano et infideli puritatem, praestantiam et nitorem N. Ti. omnimodum probari posse in adnotationibus istis contendit. Eidem igitur libello praeter alia etiam „*observationes de stylo septuaginta interpretum*“ inseruit. In quo opusculo bona quaedam continentur; conceditur enim, Hebraismos inesse τοῖς ὁ et Macedonicae dialecti vestigia, et proponuntur judicia virorum doctorum nonnulla; sed infeliciter auctor ibidem operam dat, ut obscuros aliquot versionis locos illustret collatis vocabulis Chaldaicis, Syriacis et Arabicis, quibus cum Hebraicis ibi male translatis aliqua similitudo, interpretibus Graecis (ut opinatur) obversata, intercedat.

§. 3.

Atticum igitur non esse τῶν ἑβδομήκοντα sermonem convenit inter omnes, sed quo tandem nomine eorum dialectus, vel si mavis eorum λαλιά

sive oratio sit appellanda, hellenisticae, an ecclesiasticae, an ἑλληνικῆς, an κοινῆς, communis, an vulgaris, Macedonicae an Alexandrinae, id doctissimi quique varie deciderunt. Quamquam non multi scripta peculiaria de his quaestionibus ediderunt. Primum est Salmasii opus egregium. Is contra Dan. Heinsium a. 1643 Lugd. Bat. commentarium *de* (lingua) *Hellenistica*, deinde *funus l. Hellenisticae* et *ossilegium* ejusdem publicavit. *De dialecto Macedonica et Alexandrina* exstat Frid. Guil. Sturzii philologi liber diligentissime exaratus (Lips. 1808). Henr. Planck, theol. prof. Gotting. (junior ille, ejus qui doctrinae Protestantium historiam composuit filius) a. 1819 commentationem scripsit: *de vera natura atque indole orationis Graecae Novi Testamenti.* Accedunt quae Winerus in primis *grammaticae* suae paragraphis exposuit; uterque enim de Novo T. agens non potuit non de re nostra dicere cum illo conjunctissima.

§. 4.

Dialectum τῶν ὁ et Novi Foederis scriptorum quatenus hebraizat *Hellenisticam* vocavit primus Jos. Scaliger (in animadvv. ad Euseb. p. 134). Nomen vero et rem ipsam defensam a Dan. Heinsio, (Scaligeri discipulo tam devoto, ut Scaliger pusillus audiret) absurditatis convincere studuit Salmasius in operibus supra commemoratis. Nihilo secius novos nostra aetate patronos nacta est Hellenistica Buttmannum et Winerum. Hellenistarum nomen, eo quo Heinsius et Buttmannus voluerunt sensu,

nusquam nisi Act. Apost. VI, 6 reperitur; quo ipso loco, quum incertum adhuc nobis videatur, utri illud recte intelligant, num qui de Judaeis Graece loquentibus explicant, an qui cum Salmasio de proselytis genere Graecis: noluerimus Hellenisticae appellationem subintroduci, quam (etsi elocutionis generi tribuas, non dialecto) inauditam indictamque toti Antiquitati evincit Salmasius. Novo nomine pater Fr. Thierschius (in gramm. Gr. ampl.) *Ecclesiasticam* dialectum vocare praefert, quae est in libris V. et N. Test. hebraico colore tincta. Cui nomini ab *usu* loquelae hebraizantis ducto, nihil opponemus, modo non dialecto sed stylo seu characteri elocutionis imponatur. Dialecti enim, cujus vocabuli nimius est vulgo abusus, definitionem antiquam tenendam censemus, secundum quam ἔθνος, τόπος et χαρακτὴρ ἴδιος ad constituendam dialectum ab aliis differentem requiritur. Quo sensu quatuor tantum Graeciae dialectos, Aeolicam, Doricam, Ionicam, Atticam, veteres plerique agnoscunt, τὴν κοινὴν, de qua statim dicturi sumus, num dialecti nomine insigniant, ambigunt. Ac quum phrasis et stylus dialectum peculiarem non constituat, accedit quod phrasis Hebraizans, quae est in versione Alexandrina, maxima ex parte ne natura quidem et sponte in ore vulgi videtur orta sed cum arte a peritis interpretibus quaesita et efformata.

§. 5.

At nobis, uti diximus, hoc capite non de Hebraismis dicendum, sed sermo τῶν ὁ quantum ad

materiam suam et originem spectandus. Hac certe ratione neque Hellenisticae neque Ecclesiasticae dialecti nomen ullatenus recipit, τῆς κοινῆς an recipiat, quaeri potest. Duplici sensu, eoque per rei naturam vago ἡ κοινὴ dicitur a grammaticis. Ipsum enim adjectivum κοινόν duas admittit significationes. Proprie est, quod plurium est *commune*. Eo sensu Attica dialectus ipsa propter scriptorum suorum praestantissima exemplaria aevo Alexandri Magni κοινὴ evasit, quum omnium stirpium Graecarum homines ad condendos libros ea uterentur; sed eadem peculiaria non pauca amisit, alieni plus vel minus induit; ita ut certi hic limites constitui nequeant. Κοινὴ igitur proprie ea lingua, qua inde ab amissa Graeciae libertate philosophi, rhetores et historici in *libris* suis uti studebant, quam utpote excultissimam elegantissimamque magistri docebant in *schulis*, *docti* et *aulici* etiam in vita quotidiana usurpabant; οἱ κοινοὶ, scriptores non ingenito sinceroque Atticismo utentes, sed ab eo paululum alii, alii plusculum recedentes. (Hi etiam Ἕλληνες, et eorum lingua Ἑλληνικὴ audit; Ἕλληνας Atheniensibus opponit ipse Xenophon de rep. Athen. c. II. §. 8. Quamquam et hoc nomen, Ἑλληνικῆς dico, ambiguum. Atticistae enim, qualis Phrynichus, quum quidquid in Atticis probatis non reperirent, damnarent, id ne Graecum quidem judicabant; quo factum ut Phryn. nonnunquum Ἑλληνίζειν et Ἀττικίζειν, ἀνελλήνιστον et ἀνάττικον συνωνύμως adhibeat.) Sed κοινὴν illam inde nomen accepisse, quod ex omnibus dialectis ceteris praeter Atticam quaedam mutuata esset (quam opinio-

nem nec Planckius plerosque rejecit), id Grammaticorum aevi serioris inventum μικρολόγον et artificiosum, vix dignum, cujus fiat mentio.

Hoc igitur sensu ad τοὺς κοινοὺς auctores septuaginta nostri minime pertinent. Videbimus enim eos Atticam dialectum nusquam sectari, exemplaria illa Graecae eruditionis et doctrinae nullo modo imitari.

Altera autem adj. κοινὸς vis ea est, quae Latini vocabuli *vulgaris* seu trivialis. In quam notionem etiam nostrum vocabulum *gemein* abiit, pauca ante saecula ab omni sensu viliori et abjecto remotum. Atticistae igitur, quidquid extra Atticismum positum et in ore vulgi natans viderent, κοινὸν appellare coeperunt, sensu malo. Οἱ κοινοὶ ils idiotae, impoliti, quique a barbarismo parum abesse videbantur. Hoc sensu οἱ ὁ ad τοὺς κοινοὺς pertinent, quippe qui ita scripserint, ut populo intelligerentur, non ut grammaticis et eruditis probarentur. Hunc vero sermonem κοινὸν, diversissimum fuisse κατὰ τόπους sponte apparet; τοπικὰς ejus ἰδέας innumeras statuere debemus, de singulis paene nihil scimus, quum paucissimi scriptores Graeci exstent, quin Atticam vel saltem ἀττικίζουσαν hominum politiorum et literas Graecas doctorum linguam affectarent. Septuaginta autem non ἑλληνικωτέρῳ stylo usos esse, quam qui vulgaris erat Graece loquentium in Aegypto, e papyris Graeco-Aegyptiis docemur et inscriptionibus antiquis ibidem inventis. Denique Ἑλληνικὴ versio LXX viralis non appellatur nisi sensu latissimo, linguae in

universum ratione habita aut ita ut modo Attica puritate nitere negetur.

§. 6.

Et *Planckius* duplicem nominis τῆς κοινῆς sensum a Sturzio parum distinctum, bene exponit, sed sui quasi oblitus, Novi Testamenti orationem et stylum *communem* dicere consuevit, quem vulgarem appellare debebat. Jamque apud Planckium, quem Winerus judicat antecessores suos superasse et plene, accurate atque dilucide de N. Ti oratione exposuisse, paululum commorandum. Sunt enim in ejus commentatione, quae nobis quidem non probaverit. Nam quod illi Henricvs Stephanvs *ludibrii* magis quam veritatis ratione habita orationem ss. scriptorum pure Graecam et Atticae elegantiae comparandam videtur contendisse, inde credas, Planckium H. Stephani dissertationem obiter tantum inspexisse. In qua, editioni Novi Test. praemissa, vir magnus, sicubi aliter serio agens non ludens, aliquot S. Pauli dictionibus praesertim epistolarum ad Corinthios elegantiam tribuit Attico scriptore non indignam. Deinde idem Planckius refert, aut optime Graecam aut prorsus barbaram mixtamque hebraismis visam esse dictionem ss. auctorum *omnibus*, qui in hac arena vires experti sint. Mirum id quidem judicium, nisi statuendum sit, virum doctum ne inspexisse quidem, ut alia taceam, Mosis Solani dissertationem (quae est in Rhenferdi syntagmate) vel Olearii libellum toties editum, praeterlapsis saeculis duobus ubique lectitatum

hodieque studiosis theologiae commendandum. Sed haec aliena ab instituto; transeamus ad alia. Tradit idem, *ante* Alexandri aetatem scriptores pedestres Graecos *suae quemque* gentis dialecto uti solitos. Quo quidem vix quidquam dici potuit perversius. Quid de Herodoto dicendum, ex urbe Dorica oriundo, Hecataei Ionismo usi imitatore? de Ctesia quid, cui et ipsi dialectus Ionica non erat vernacula? non Hippocrates *ὁ ἰωνίζων*, Doricae erat nationis? vicissim qui ex Ionibus fuit Pythagoras nonne Dorica lingua utebatur, qua et qui eum secuti Pythagorei? —. Paulo post Planckius, *post* Alexandri aevum scriptores *omnes Atticam* dial. sectatos autumat, poetarum epicorum, elegiacorum, idyllicorum nulla mentione facta. Bona quidem sunt, quae habet de dialectorum singularum limitibus externis, amissa Graeciae libertate et Macedonico regno suscepto, deletis, et de Macedonica lingua per imperium populi victoris, per exercitus, per bella continua, per colonias et urbes novas passim propagata, sed nimium profecto eloquitur ubi „omnibus dehinc locis, ait, sermonem vulgarem id habuisse commune, quod e pluribus esset compositus, de dialectis jam sermonem esse non posse secundum definitionem Scholiastae Aristoph. (ad Nub. v. 317), cui *διάλεκτός ἐστι φωνῆς χαρακτὴρ ἐθνικός.*“ Res ipsa loquitur contra et hodiernus linguae Graecae status, Zaconum loquela a reliquis disparata, ne quid dicam de Strabonis testimonio, qui Peloponnesum totam propter Heraclidarum *ἐπικράτειαν* sua aetate adhuc *δωρίζουσαν* memorat. — Aptum nomen sermonis Graecorum

criter gnarum fugere non potest, quam antiqua sint permulta hodie in ore vulgi versantia, modo Atticistarum libellos evolvat, quum quae illi in Menandro aliisque reproba declarant, eadem plerumque nunc in sermone Romaico obtineant. Sed nos ut dialectum, qua LXX intt. in vertendo Pentateucho usi sunt accuratius describamus, I. primo de λέξεσι seu vocibus singulis, II. deinde de orthographia seu modo scribendi, III. postremo de σχήμασι λόγου seu grammaticis ἰδιώμασιν ab Attica puritate et grammaticorum regulis recedentibus agamus.

§. 8.

De vocibus singulis aliae τοπικὸν χαρακτῆρα natura sua produnt, quae *Aegyptiacae* originis sunt, qualia κόνδυ de poculo Josephi usurpatum, οἰφὶ de Epha mensura Hebraica, ἄχι sive ἀχεὶ sive ἀχί de omni quod in palude virens nascitur, πάπυρος quoque et quod a Sturzio praetermissum video Θίβιν, ita enim legitur accus. in ed. Rom. pro quo Θίβην cod. Alex., Scholia: Θήβην et Suidas in nominativo Θήβης. Eo nomine arculam papyraceam appellarunt, qua Moses infans est expositus Exod. II. Copticae esse originis Forstero visum. Abhorret certe ab interpretum ingenio, hebraicam תֵּבָה reddidisse immutatam et tamen declinasse, cui Graecam facillime poterant substituere, κιβωτόν vel simile quid. — Proxime sequuntur nomina quaedam propria, quibus Aegyptiacam formam reddidisse videntur in ore Hebraeorum paululum abolitam. Ψονθομφανήχ et alia vide supra l. I. §. 5. De

his, origine *Copticis*, *Jablonskius* in opusculis doctissime egit. Attamen operae pretium *Peyronis* monitum de etymologiis Copticis apponere. Is in commentario ad papyrum Taurinensem VIII, ubi pagorum nomina Aegyptiaca nonnulla recensentur: „etyma, inquit, ex se jam lubrica, incertissima sunt in nominibus Aegyptiis ad Graecas formas et aures refictis. Quantum hac in re liberrime grassati sint Graeci, literas mutantes, addentes vel dementes, norunt, qui nomm. propria Demoticis signis exarata contulerint cum iisdem Graeca civitate donatis. Quamobrem universa haec pagorum nomina mitto cett.“ — *Alterum genus* est eorum verborum, quae, origine quidem Graeca, res vel personas vel loca significant Aegyptiaca vel Alexandrina. Ejus generis sunt ἐξηγητὴς, προφήτης et pro תְּמִים ἀλήθεια, de quibus adeas Sturzium; fortasse etiam γραμματοεισαγωγεὺς Alexandrinum, de quo v. Biel. thesauro s. v.

Praeterea vocibus aperte Alexandrinis etiam ea omnia munerum vel officiorum nomina adnumeranda putamus, quae ab ἀρχι- incipiunt. In Genesi apparent: ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως שַׂר צָבָא c. XXI, 22, porro ἀρχιμάγειρος, ἀρχισιτοποιὸς, ἀρχιοινοχόος, ἀρχιοινοχοεία, ἀρχιδεσμοφύλαξ et ἀρχιδεσμώτης (haec in Josephi hist. c. XXXVII—XL.) et in Levitico (c. IV, 3.) ἀρχιερεύς. His adde e papyris et inscriptionibus ἀρχισωματοφύλαξ, ἀρχικύνηγος, atque adeo ἀρχυπηρέτης, quod est in papyro a Letronnio publicato (Paris. 1833, 4to). Non longe petenda horum omnium explicatio; nihil

enim aliud syllaba ἀρχι- videtur indicare, nisi munus, cujus nomini praefigitur, regium et aulicum apud Ptolemaeos fuisse. Hunc esse sensum ejusmodi compositorum subindicant verba papyri modo citati: Βίων δοῦλος Καλλικράτου τῶν περὶ αὐλὴν ἀρχυπηρετῶν. Qua de causa Letronne in libro de inscrr. Gr. Aeg. (Recherches pour servir à l'histoire de l'Egypte cett.) ut exponeret vocabulum ἀρχικύνηγος (in inscr. pag. 52. exhibita obvium) non debebat Athenaei relationem adhibere de Bacchi pompa quadam, ubi duos venatores 2400 canes essent secuti. Duos illos inferioribus multis κυνηγοῖς fuisse praepositos, conjicit ideoque ἀρχικυνήγων eorum fuisse titulum. Sed nihil aliud istud ἀρχι- connotat, nisi regium esse officium quo quis fungatur. Quod quum ita se haberet in aula Ptolemaeorum Alexandrina, ad Pharaonum tempora eundem loquendi usum transferre interpretes Alexandrini non dubitarunt.

Denique *duo vocabula eliminanda* censemus e catalogo indiciorum Alexandrinae interpretum patriae et dialecti, *γένεσις* et *ἱππόδρομος*. Γένεσις κόσμου liber I. Mos. Graece inscribitur; quem terminum e philosophia Alexandrina esse mutuatum, Hodio amicus anonymus suggessit; nec cunctati sunt Hodius et qui Hodium exscripserunt interpretibus accommodationem quandam tribuere, qua alienam a revelatione notionem κοσμογονίας adoptarint. At apud quos γένεσις κόσμου reperitur, Iamblichus et Ptolemaeus, nonne longo intervallo post LXX scripserunt? et quis tandem jubet, γένεσις generationem interpretari potius quam originem?

Aptior quidem titulus libro inscribi non potest quam is, quem ipse libri textus suppeditat; atqui γένεσις οὐρανοῦ καὶ γῆς c. II, v. 4. Geneseos legitur aptissime positum pro hebr. תּוֹלְדוֹת וגו׳. Sic Deuteronomii nomen sumtum ex ipsis LXX, qui Deut. XVII, 18. τὸ δευτερονόμιον τοῦτο מִשְׁנֶה הַתּוֹרָה הַזֹּאת. Ceterum subdubitari potest, num librorum inscriptiones: γένεσις κόσμου, ἔξοδος Αἰγύπτου, λευϊτικόν, ἀριθμοί, δευτερονόμιον ab ipsis interpretibus sint profectae, an per usum ecclesiasticum postea appositae. Κόσμος in librorum canonicorum versione numquam mundum significat; quamquam ejus rei causa fortassis ea, quod in Hebr. lingua antiqua vocabulum ei notioni prorsus respondens desideratur.

Verum etiam alterum vocabulum ἱππόδρομος excludendum, idque e textu prorsus ejiciendum putamus. Bis legitur in Gen.: XXXV, 16 et XLVIII, 7; utrobique pro Hebraico כִּבְרַת־אֶרֶץ positum, quod mensuram longitudinalem (qualis parasanga) significat. Recte se haberet, nisi utroque loco vox ipsa hebr. χαβραθά esset apposita. Manifestum inde, intt. vocab. hebr. non intellexisse et (fortasse quia pro nom. pprio habebant) intactum reliquisse. Sed qui postea terebant volumina sacra, vitio versionis animadverso, ἱππόδρομον τῆς γῆς adjiciebant, de cujus sensu vid. Hodius. Utrumque jam stat in textu, sed sensus difficultas et lectionis varietas corruptelam satis indicat. Antiqua sane haec lectio intrusa, Hieronymus enim cur ἱππόδρομον verterint miratur; unde colligimus ipso Origene esse antiquiorem emendationem istam. Nam si Origenis esset,

Hieronymus, cui hexaplares codices ad manum erant, non reticuisset. Ne autem temerarium quis judicet, tam antiquam nos supponere corruptelam, duo afferre possumus exempla similia; Cap. XXX. filiorum Jacobi nativitas narratur; occasio nominum iis inditorum indicatur; nomina ab intt. hebraica relinquuntur, glossis vel epexegesibus non explicantur (quia is non est mos τῶν ὁ). Unico tantum nomini Ἰσσάχαρ adjungitur antiquum scholion, quod omnes codices videtur intrasse: ὅ ἐστιν μισθός. Sed hoc dicas incertum, ab Origene videatur cuipiam illatum, quem nominum extraneorum vim appositis notis enucleasse constat *). Sed alterum en exemplum corruptelae vetustissimae a multis observatum: Gen. XV, 15. haec Dei verba ad Abrahamum referuntur: σὺ δὲ ἀπελεύσῃ πρὸς τοὺς πατέρας σου ἐν εἰρήνῃ ταφεὶς ἐν γήρει καλῷ, sic enim mendose ibi omnes legunt, sic *Philo* Judaeus legit ubi versum citat, sic vetus Itala expressit: *nutritus in senecta bona* (Eichhorn, *Einleitung in d. A. T.* vol. II. p. 598.), quum ταφεὶς procul omni dubio interpretes scripserint.

§. 9.

Linguarum a prisca puritate per saecula degenerantium immutatio quum magna ex parte in eo posita sit, ut vocabula *novas* accipiant *significa-*

*) Nominum propriorum interpretationes Graecas constanter adscriptas vidimus in margine cod. Basileensis Geneseos et 14. capp. Exodi sec. LXX cum catena Patrum, qui apud Holmesium est n. 185.

tiones, utque *nova vocabula* formentur et *flexione* et *compositione*, de his quoque pauca dicenda. Atque hoc loco num qua forma vel significatio Alexandrina sit sensu strictiori, an in universum ex usu Graecorum vulgari aliquo vel seriori, vix unquam potest asseverari. Merito igitur ejusmodi omnia Sturzius in numerum vocabulorum *probabiliter* Alexandrinorum retulit. E quibus aliqua in Pentateuchi libris animadversa apponam. οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς διαρτηθῆναι Num. XXIII, 19. obscurum esset, nisi Suidas doceret, Menandrum et Dionys. Halic. eo verbo usos esse pro ἐξαπατηθῆναι. Nec legendum διαιτηθῆναι ut est Judith. VIII, 16. ubi dictum illud Bilcami citatur. ὄρθρος Phrynichus vetat dici de eo tempore, quo sol nondum exsurrexit lux tamen adest, quod ἕως recte appellari, sed ὄρθρον esse apud Atticos spatium adhuc tenebrosum quod proxime antecedit diluculum. At LXX nostri ὄρθρος constanter ponunt pro Hebr. שַׁחַר quod est *aurora*. ὀρθρίζειν damnat Moeris Atticista, ὀρθρεύειν esse verbum idoneum ac probatum, at LXX ὀρθρίζειν praeferunt. παρεμβολή secundum Phrynichum p. 377 Lob. Macedonicum v. Sturz. p. 30. adde *verbum* παρεμβάλλειν. πτῶμα notat Lobeck. pag. 375. βουνός vocabulum secundum Herodotum (IV, 199.) Cyrenaicum, Phrynichus in poesi Syracusana esse frequens observat, alii quoque damnant, sed LXX adhibent, λόφος autem nusquam usurpant. Neograecis denique τὸ βρυνὸ et τὰ βουνά est vocab. solemne pro ὄρος et ὄρη; etiam diminutivum invenitur in nomm. locorum, ut Πετροβοῦνι. — Sturzius ἐνωτίζεσθαι, εὐδοκία, μὴ

γένοιτο, ἐξολοθρεύειν, καθὼς dictiones τοῖς ὁ peculiares, perhibet esse Alexandrinas. Alia sunt, de quibus grammatici veteres silent, quae non minus huc pertinere existimaveris, a Sturzio praetermissa, e. g. ἀγαλλιᾶσθαι exsultare, laetari, (quamquam id non reperitur in libris Mosaicis) ἤτασεν Gen. XII, 17. pro hebr. נָגַע feriit, percussit, discruciavit, quo Hesychii explicatio spectat: ἤτασεν· ἐβασάνισεν, et ibidem subst. ἑτασμός (sua vi idem verbum ἑτάσεις Deut. XIII, 14. recurrit pro ἐξετάσεις quod est in cod. Alex.) προσήλυτος in Pentat. passim pro גֵּר. συμβιβάζειν τινὰ pro διδάσκειν peculiare τῶν ὁ, Attice προσβιβάζειν, observat Passowius. — ἐκδέχεσθαί τινα „spondere pro aliquo", dictio quae lexicis quidem deest, Gen. XLIII, 9, XLIV, 33.

Planckius *adjectiva* quaedam ab adverbiis deducta serioris formationis observat, cujusmodi in Pentat. πρώϊμος et πρωϊνός, item *verba in*-οω recens efficta apud τοὺς κοινοὺς seu vulgariter scribentes frequentia, ut in Pentat. ἀποπεμτόω et ἀποδεκατόω.

Composita longiora noviter formata Alexandrinorum propria esse adnotat Peyron (ad pap. Taurin. I. p. 89.), Planckius omnino in inferiori Graecitate multiplicari monet. Dictum id velim imprimis de verbis dupliciter compositis; e quibus alia praepositione ante praepositionem praefixâ novam significationem nullam accipiunt ut ἐκδιηγεῖσθαι, καταπρονομεύειν (quod Passovii Lexico deest), in aliis utraque praepositio suam habet vim, ut in

προσαποδανεῖται et ἀνταποδανεῖται quocum conferre possis quod est in pap. Vienn. I. (ed. Petrettini.) ταλάντων ἀνταναιρουμένων et quae ab ἀνταποδίδωμι derivantur in LXX et N. T. frequentia ἀνταπόδοσις et ἀνταπόδομα, etsi classicis auctoribus ea non inaudita. Certe id commune linguarum a prisco vigore degenerantium, cum Germanicae tum earum quae a Romana matre originem ducunt, ut verba cum praepositionibus composita invaleseant loco verborum simplicium. Teruntur enim primo simplicia, ita ut cum vi earum notio exprimi non posse videatur nisi per composita et translata, quae deinde paulatim et ipsa emphasi sua ita privantur, ut denique simplicium vetustorum locum totum occupent.

§. 10.

Sequitur, ut de *orthographia* interpretum Alexandrinorum, seu de modo iis peculiari, quo singulorum vocabulorum sonum literis exprimunt, verba faciamus. In editione *Sixtina* a. 1587, pariter atque in Complutensi et Aldina, orthographia solita, quae in scriptoribus Atticis et τοῖς κοινοῖς secundum grammaticorum traditiones et codicum quoque antiquissimorum auctoritatem observari solet ab editoribus, paene nusquam negligitur. Carafa Cardinalis „obsoletam cod. Vaticani orthographiam“ non esse retentam sed in editione emendatam praemonet, quae illa fuerit, non commemorat. Literulas enim illius aevi philologia parum curabat, rebus intenta. Sed novas res moliri coepit primus Ern. Grabius *codicis Alexandrini* editor diligen-

tissimus. Qui eam adhibuit curam, ut in *prolegomenis* omnia, quae aliter in cod. isto scribuntur, et si qua vitiosa videbantur, sine exceptione adnotaret. In textum vero nihil insueti recepit, nisi quod ν ἐφελκυστικὸν ubique posuit et ἴδον (in indic. aor.) scripsit pro εἶδον; eaque in ceteras quoque edd. codicem Alex. secutas transierunt, certe Breitingeri (*Turic.* 1730. qu.) et Reineccii (in *Bibl. Quadril. Lips.* 1750. fol.). Haud ita multo post quam prolegomena Grabii, notitiam codicis Alex. exhibentia, prodierunt, fuere qui summae antiquitatis indicium orthographiam peculiarem istam conclamarent, Ionicae enim dialecti inesse vestigia; de quorum stulto syllogismo hodie non est quod dicatur.

Alii vilipendere ista malebant; rectam vero viam nostro saeculo Hvgivs videtur ingressus, qui Aegyptiacae dialecti serioris signa (saeculorum post Chr. n. quinti et sequentium) in nonnullis ἰδιωμάτων illorum deprehendit (*Einleitung zum N. T.* ed. III. tom. I. pag. 277. 278.). Verum non debebat solas verbi λαμβάνειν formas insolitas ἐλήμφθην *), λημφθήσομαι in censum vocare, sed reliquorum quoque rationem habere. Stvrzivs ista omnia e prolegomenis Grabii de cod. Alex. et Breitingeri *de cod. Turicensi psalmorum* (qui cum Alex. aliquantum similitudinis habet) in librum suum *de dial. Maced. et Alex.* transferre operae pretium duxit; quae illic essent antiqua, quae ab indoctis librariis illata dijudicare non ausus, attamen genuini quid-

*) λήμψομαι invenitur in pap. Taur. III. ed. Peyron, at in pap. IV. λήψεσθαι.

piam ibi latere ratus. Denique aliquot abhinc annis prodiit in lucem Novi Test. editio critica a cl. Lachmanno adornata.

Textum in ea editor ejusmodi restituere operam dedit, qualem ecclesia Graeca legerit saeculo IV; (Bentlejo primo id institui posse venerat in mentem). De lectionibus, ad codicum Graecorum orientalium et Patrum ecclesiae Graecae normam a Lachmanno in textum receptis, agere hujus loci non est. Dicturi sumus modo de horrida facie, quam textus ille induit per orthographiam ab editore introductam. Qui non fuit contentus ν ἐφελκυστικῷ universalem concedere dominationem, συνκαλέω et similia scribere, non assimilatâ praepositionum literâ ultimâ, sed ἐλήμφθην ejusque cognata recepit, ῥ ab initio verborum augmento praefixo non duplicavit, ἀποκτέννειν scripsit et ἀναβέννειν pro ἀποκτείνειν et ἀναβαίνειν, οὐκ et praepositiones apostrophatas ἀπ', κατ' nonnumquam spiritu *leni* subjecto aspiravit οὐχ, ἀφ', καθ', aor. II. et imperfecti terminationes 3. plur. in οσαν, aor. II. etiam in α, ας, αν, cett. easque frequentes introduxit, denique ἐλπίδαν barbarum accusativum Novi Testamenti scriptoribus obtrusit. Quae tam insolita firmarit vir doctissimus codicis Alex. auctoritate. Nam cum et N. Test. libro illo antiquissimo contineatur, id Lachmanno instituti fuerit fundamentum. Sed scire velimus, quam aetatem tribuat Alexandrino codici. Quis enim hodie crediderit traditioni cum ipso libro a Cyrillo Lucari Patriarcha Constantinopolitano in Britanniam missae, quae „memorat scriptum esse manu Theclae martyris paulo post

concilium Nicenum“? *) Nos ignorare fatemur, quo jure istius libri **) facies impolita cen-

*) Sturzius *de dial. Alex. et Mac.* p. 115. not. ubi commemoravit a Breitingero (imo, Grabio, cujus ille prolegomena recudi jusserat in ed. τῶν ὁ supra citata) codicem Alex. haud diu ante annum 896 exaratum putari, cauto judicio usus haec addit: „quae codicis Alex. antiquitas etsi Spohnio aliisque nimia videtur, tamen hoc multi concedunt, probabiliter disputari posse, num saeculo quinto, sexto vel septimo sit exaratus.“

**) Certe e cod. Vatic. nihil a collatoribus de orthographia (quam, ut supra diximus, Romani editores „obsoletam“ esse produnt, accuratius non describunt) adnotatum praeter ea, quae Hugius l. c. protulit: ἐλήμφθην κτλ. εἶπαν κτλ, ἐώρακαν κτλ. Plura sane observata sunt in cod. Psalmorum Graeco Turicensi. Exhibuit olim ejus notitiam Breitingerus. Repetiit deinde quae ad orthographiam pertinent Sturzius, doletque l. c., Turici χειμήλιον illud non amplius versari. At versatur et servatur hodie neque ullo amplius folio truncatum est, ex quo Breitingerus suam descriptionem edidit. Deerant autem jam tunc tam multa, quae fere tertiam Psalterii partem conficerent. Scriptus est codex forma IV, membranis purpureis tenuissimis; στιχηρὸν distinguitur textus; διάψαλμα, ἀλληλούϊα, lemmata psalmorum atque in calce libri tota cantica (quae adjungi solent Psalteriis Graecis) literis aureis sunt exarata, reliqua argenteis, omnia uncialibus; accentus nulli, spiritus rari. Singulorum paene versiculorum prima vocabula Latino margini sunt adscripta, idque literis rubris sed ab eadem, ut videtur, manu. Nobis ipsis praeclarissimi monumenti copiam fecit Jo. Casp. Orellii bibliothecarii Turicensis eximia humanitas, quum extremis anni 1838 diebus Turici moraremur. Tunc temporis amicus intimae familiaritatis amore nobiscum conjunctus, qui una erat, Gothofredus Weigle SS. Th. C. (jam ad Indos orientales ille Evangelii praedicandi causa profectus) maximam partem codicis illius contulit, non

seatur fuisse facies exemplarium omnium vel certe plurimorum, quae saeculo IV. in manibus Ecclesiae Graecae versabantur, quae a viris doctis ecclesiae Patribus terebantur, quae in templis publice recitabantur.

§. 11.

Ceterum quae triginta abhinc annis dijudicare a Sturzio minus poterant, ea decernendi jam parata est facultas. Bona fortuna ad nos detulit antiquitatis Alexandrinae et vulgaris simul linguae atque scripturae monumenta non *inscriptiones* tantum, sed *papyrorum* quoque numerum non contemnendum, quorum non pauci Vimariae, Lugduni Batav., Taurini, Viennae, Parisiis sunt publicati. Accedunt *volumina Herculanensia*, per tot saecula molibus a Vesuvio ejectis obruta, nunc demum in lucem protrahi coepta. Eorum fragmenta Neapoli primitus edita Londini rursus sunt aeri incisa, quam-

---

sine magno oculorum labore, quia argentum passim ex humore rubiginem traxit atque ipsas membranas corrosit, ut non literae ibi appareant sed umbrae atrae vel foramina ipsius membranae, quae olim loca literarum. At haec quoque foramina numerari tamen poterant et quid scriptum fuerit ita examinari. Id vero observavimus, ab horridis mendis librariorum, quorum tanta turba in Alexandrino τῷ πολυθρυλλήτῳ, Turicensem longe esse puriorem. Id quod vel e Breitingeri descriptione et Sturzii libro (pag. 117 sqq.) patet. Antiquiorem autem esse Turicensem Alexandrino vel literarum uncialium simplicior forma, qua excellit, nobis persuasit.

quam ibi paulo negligentius. Philodemi quaedam insunt Epicurei; cujus generis scriptores, elegantiam doctrinae contemnentes, vulgari utebantur loquela et scriptura. Qui Philodemus quum fuisset Ciceronis aequalis, urbes vero sub Tito perierint, nec verisimile sit, secunda demum eruptione sub finem saeculi IV. esse oppletam cineribus Vulcaniis bibliothecam recens detectam, in idem saeculum voluminum Herculanensium origo incidit, in quod librorum Novi Test. *). Et haec quidem Novi Testamenti criticis respicienda. Sed ad LXX quod attinet, aptius nihil potuit inveniri quam *papyri*

*) Codicibus manuscriptis Novi Test. vel iis qui antiquissimi habentur numquam poterit confidi, si de peculiari scribendi modo scriptorum Sacrorum agitur. Id exemplo aliunde petito sed satis accommodato nobis persuasum. *Quinctilianus* (I, 7, 20) memoriae tradidit: „Ciceronis temporibus paulumque infra, fere quotiens S litera media vocalium longarum vel subjecta longis esset, geminabatur ut *caussae*, *cassus*, *divissiones*, quomodo et ipsum et Virgilium quoque scripsisse manus eorum docent.“ Ad quae FREVNDIVS in *adnott. ad Cicer. or. pro Milone e cod. Berol. editam* (*Vratisl.* 1838. 4to. pag. 24.): „Nulla re clarius evidentiusque codicum exstantium summa in rebus orthographicis depravatio cognoscitur, quam quod illa scribendi consuetudo vere Tulliana usque ad levissimum paene vestigium ex iis evanuit. Inter omnes videlicet palimpsestos (ne dicam de ceteris libris his deterioribus) unum Orat. pro Fontejo frgm. Vatic. exhibet *caussa* et *accussas*. Quod igitur scribendi genus paulo insolentius intactum reliquisse arbitremur librariorum perversitatem, cum hunc S literae duplicandae usum, in tanta verborum ejus generis multitudine ex Ciceronis scriptis radicitus exstirpatum videamus?“ Haec ille.

sub Ptolemaeis exarati. Quod enim Philometore et Evergeta II. regnante plerique scripti sunt, non propterea tanto intervallo a versione Pentateuchi distant, ut diversam eorum orthographiam a LXX-virali statuere necessarium sit. Nam miro modo conspirant cum voluminibus Herculanensibus, uno certe saeculo postea conscriptis, et cum inscriptionibus aevi Ptolemaici a Letronnio editis. In papyris Taurin. a Peyrone publicatis et illustratis (*Memorie dell' accademia di Torino* 1827) haec fere observavimus a scriptura regulari aliena:

σνν nunquam sequenti literae assimilatum παρασυγγράφειν, συνλελύσθαι, συνστησάμενος, συνπαρόντων, συνκεχωρήκασι, neque ἐν, ἐνκαλούμενοι. Ibidem ν ἐφελκ. non semper (ut in Alex. et Turic. codd.), sed saepius tamen ponitur quam regula vulgaris postulat.

Haec prorsus *eodem modo* se habere in volumm. Herculan. nobis asseveravit vir in iis versatissimus Leonh. Spengelius. Vocales et diphthongi in iis non permutantur, exceptis ι et ει in quibusdam vocabulis e. g. ἀποτείω pro ἀποτίω, κρείνω pro κρίνω quod idem obvium in *papyris Viennensibus* post *Petrettinium* a *Peyrone* editis et in *inscriptionibus Letronnii*. In inscrr. e. g. ἀνείκητος, κεχειλιαρχηκότων, ἡμεῖν, καταγεινομένοις. Ibidem et. ἐνκεχαραγμένων per νῦ et frequens ν ephelcystici usus, qui etiam alibi passim in lapidibus antiquis, v. c. in psephismate Pario conspicuus, quod e Ptolemaeorum aevo oriundum pater Fr. Thierschius edidit *).

*) *Abhandlungen der k. bayer. Akademie der Wiss.* 1835.

Quae quum ita sint, nec vitia e confusione sonorum ambiguorum ι et ει orta quisquam in textum inferre conaturus sit, non ita longe a scopo aberrarunt Grabius et reliqui eum sequuti.

Inveniuntur etiam vocabula, quae quomodo apud LXX scribi debeant, Atticistarum canones prodant. Phrynichus formas νοσσὸς et νοσσιὰ rejicit; ἀδόκιμα illa, scribendum et dicendum esse νεοττὸς ac νεοττίον; sed quod ille damnat, id ipsum LXX. utpote vulgare praeoptant; νοσσὸς igitur et νοσσιὰ recte in eorum codd. legitur. Eodem modo se habent ἐξολοθρεύω, εἵνεκεν, alia.

§. 12.

Restat quod tertium nobis proposuimus, ut ἰδιώματα grammatica, seu σχήματα λόγου enumeremus, quae in Pentateuchi libris reperimus. In his quoque, ad grammaticam, non ad lexicon neque ad orthographiam pertinentibus, raro potest dijudicari, quae ad ἰδιωτὸν Alexandriae χαρακτῆρα, quae ad sermonem Graecorum vulgarem et ab accurate usu loquendi ad negligentiam jamjam inclinantem referenda sint. Quae in lingua ἁπλοελληνικῇ seu Graeca hodierna unice valere sciverimus, ea Alexandrinorum esse propria dubitabimus. Et quoniam grammaticam vulgo in *etymologiam* seu formationis doctrinam et *syntaxin* partiuntur, nos eundem ordinem servaturi sumus. Ordiendum igitur a nominum *declinatione*.

Dualis numerus non invenitur; pluralis substituitur si de binis sermo est. In hodierna Graecitate dualis omnino nullus superest.

In *prima decl.* observavimus, nomina propria feminina in α genitivum semper formare in ας, non in ης sicut Λήδα et alia ejus generis apud Graecos; e. g. Βαλλά, Βαλλᾶς (noli cum ed. Rom. talia ὀρθοτονεῖν: Βαλλάς). Accusativus nominis Μερρά Exod. XV, 23 non debebat scribi Μερρᾶν sed Μερράν. Magna in his fuit incuria editorum. Quod nomina propria masculina in ας gen. habent α, non peculiare nec novum apud LXX. Sed de his et de Φαραώ, Ἰησοῦς, Μωϋσῆς supra lib. I. §. 6. aliquid dictum.

A μάχαιρα est in cod. Alex. dativi forma (a Lachmanno etiam in N. T. recepta) μαχαίρῃ Exod. XV, 9. (cui simile in Act. Ap. σπείρης a σπεῖρα).

Contractio nonnumquam neglecta e. g. ὀρέων, καταχρύσεα, sed etiam in N. T. ὀστέων, ὀρέων, χειλέων; de his et de dat. γήρει ad Winerum lectorem ablegare sufficit. Etiam in *verbis* reperiuntur formae praeter morem Graecorum non contractae ut ἐκχέετε Gen. XXVII, 22.

Numeralia regulas sequuntur; δυσί pro δυοῖν forma satis nota. Composita δεκαδύο et δώδεκα, δεκατέσσαρες et τεσσαρεςκαίδεκα alternant sic ut etiam in Novo T. Neque id mirum, si miscentur hae formae varia codicum lectione, nam si olim per siglas ιδ' scriptum fuit, alius more veterum τεσσαρεςκαίδεκα, alius e consuetudine recentiorum δεκατέσσαρες legere poterat et in describendo reponera. Forma δεκατέσσαρες in Neograeca dialecto solemnis. Ex eadem fortasse potest illustrari formula ἑβδομηκοντάκις ἑπτά Gen. IV, 25, quae inde in N. T. transiit. Anceps videatur, utrum dictum sit: *septuaginta septem vicibus* (77 ×) an: *septies septua-*

gies (7×70=490×) ulciscendum Lamechum et condonandum fratri; parallelum locum inveni in libello Neograeco inscripto Πίστις (Venet. 1756. pag. 324.) ubi quinque martyres dicuntur οἱ τρισμακάριοι καὶ πεντάκις χίλιοι εὐλογημένοι καὶ δεδοξάσμένοι Κοσμᾶς κτλ. quod aliter explicare non possum, nisi *quinquies millies* (5000×) benedictos illos appellari. Sic l. l. *septuagies septies* intelligendum, etiamsi ἑπτά nota adverbii caret.

De *Conjugationibus* deinceps dicendum. *Augmentum* insolitum formae ἐπρονόμευσαν Deut. II, 35. III, 7. editionis Romanae et aliorum auctoritates tuentur; confer quod in Alexandrino codice est κατεπρονόμευσαν Num. XXI, 1. Scilicet προνομή *praeda* substantivum frequens, hinc προνομεύω *praedari* verbum derivatum facile poterat pro simplici haberi, quod non esset divellendum interjecto augmento. At etiam a καταράω reperitur κεκατήραν-ται Num. XXII, 6. et XXIV, 9. atque κεκατηραμένος Deut. XXI, 23. Contrarium huic et mirum est ἀνατεθεματισμένον Num. XVIII, 14. — Ib. XXXII, 13. legitur κατερόμβευσεν.

Tempora ab elegantioribus auctoribus evitata crebro usurpantur, e. e. ἀκούσω pro ἀκούσομαι legitur; at ἁμαρτήσομαι, non ἁμαρτήσω ut est in Novo T. — *Futura passivi* longiora οἰ ὁ non aspernantur e. g. λιθοβοληθήσεται, θανατωθήσεται, ἐξολοθρευθήσεται et εὐφρανθήσῃ (Deut. XVI, 11. 14. pro quo statim v. 15. per periphrasin ἔσῃ εὐφραινόμενος). Forma *medii* raro praefertur, ut in γεννήσεται *nascetur* Gen. XVII, 17, συναριθμήσεται *numerabitur* Exod. XII, 24.

Futura Attica διορισεῖ, ἐργᾷ (***laborabis***) et ἐργᾶται, ἐκδικᾶται non mira, neque ἐπιχέεις, προσχέεις, quae non debebant περισπᾶσθαι, ἐπιχεεῖς κτλ. Mirum sane ἁρπᾷ pro ἁρπάξεις (ed. Compl.) sive ἁρπάσεις (cod. Alex., ed. Ald.) Lev. XIX, 13.

Aoristi I. optativus est ἐπιφάναι Num. VI, 25, ad quem pertinet ***infinitivus*** ἐπιφᾶναι Luc. I, 79. de quo v. Winer. §. 15. Simile apud Nostros ὑφᾶναι, quae est forma Attica. Praeterea haec fere observatione digna animadvertimus: a κτείνω perfectum ἀπεκτάγκατε Num. XV, 14. Seriorum (Plutarchi cett.) esse dicunt πέπαιχα, unde ἐμπέπαιχα Ex. X, 2. cf. βαστάζω in N. T. Formae οἴδαμεν, οἴδατε, οἴδασι solemnes, quas neque Aristoteles τῶν κοινῶν primus ille respuit. Ἀφίημι personam 2. format ἀφεῖς Ex. XXXII, 32. et καθίστημι partic. καθιστῶν. — Ab εἰμὶ imperfectum ἦμην, quod damnant Atticistae. — φάγομαι et ἔδομαι sine discrimine usurpantur. — Futuri πίομαι secunda persona πίεσαι. — ἦκαμεν, ἦκατε, ἦκασι reperiuntur, acsi in perfectum abiisset ἥκω. Vicissim perfectum abiit in praesens γρηγορῶ, quod in Pentat. quidem non legitur sed in aliis τῶν ὁ libris. Explicari hinc queant: κεκράξαντας Ex. XXII, 23. et ἐκέκραξεν Num. XI, 2. quibus affine κεκράξομαι Graecorum, quod etiam in Psalmis. Non dissimile est quod in pap. Taur. VII. invenimus: ἐπικεχειρόῦντος *).

*) A παραδίδωμι forma 3. pers. opt. aor. II. inaudita legitur Deut. XXVIII, 7. παραδῷ, optativum esse et sensus et quae apposita sunt ἀποστείλαι, ἀναστήσαι demonstrant. Alex. Ald. παραδῷ σοι, at σοι non est in Hebraico, latet videlicet, quam h. l. Complutensis editio

Inter *vitia* ab editoribus non correcta retuli εἰδεῖν Ex. X, 28. 29. ubi edd. Alexandrini sequaces εἶδειν non melius. Male sibi caverunt editores quos novi omnes, Ex. XI, 9. ἵνα πληθυνῶ scribentes *). Alex. Ex. XXII, 39. habet ἐδυνάσθησαν et Gen. XXX, 8. ἠδυνάσθην quam formam editores Romani injuria videntur mutasse in ἠδυνήθην. Contra ἠδυνάσθη ed. Rom. Ex. XL, 35, ubi Alex. ἐδυνήθη.

De terminatione tertiae plur. in οσαν, quae in *impf.* et *aor. II.* creberrima (ἐφαίνοσαν, ἦλθοσαν) etiam contracte (ἐγεννῶσαν, κατενοοῦσαν) atque adeo in *optativo* αἰτέσαισαν Gen. XLIX, 8. et de formatione *aoristi II. indic.* in α, ας et 3. plur. αν, *imperativi* ον, άτω vid. Sturzius pag. 59 sqq. *Particip.* εἶπας pro εἰπὼν in ipsa ed. Rom. legitur Num. XXIII, 19. et οἱ καταλιπαντες ib. XIV, 37. Sane mirum quod *nihil tale in papyris et inscriptionibus* potuimus deprehendere; exempla duo ex *inscriptionibus* habet Hugius l. c. pag. 278.

Perfectorum formam ἑώρακαν (Deut. XI, 7.) non constanter in LXX observatam, Sextus Empiricus tradit esse λέξιν Alexandrinam. A Dorico ἑστάκαντι Valckenarius ἕστακαν derivat, Planckius ad analogiam aoristi I. putat esse ortam, confusis temporum historicorum et perfecti terminationibus. Analoga est forma 3. plur. in praesenti, quae hodie paene sola valet -ουν, e. g. γράφουν pro γράφουσιν,

---

exhibet, sincera lectio παραδώσει. Ib. v. 24. 25. recte legitur δῴη.

*) Quantum proferre possem numerum σφαλμάτων ex ed. Rom., supra prolegomenis pag. 16. not. commemoravi.

quam si quis per syncopen e *ν ἑφελκ.* putet esse enatam, eandem poterit statuere originem formae *ἑώρακαν*, ex *ἑωράκασιν*. Nisi cui praeplacet etiam *λέγουν* ab antiquissimo *λέγοντι* derivare.

§. 13.

Plura sunt et certiora quae de *syntaxi* proferre possumus. Id vero *praemonendum*, falsum esse, si quis stylum Pentateuchi Graeci minus Graecum putat esse quam Novi Foederis scriptorum omnium. Pariter copiosam et interdam audaciorem nec juvenili tanquam vi minus virentem animadvertes loquelam LXXviralem, in Pentat. certe tribus saeculis antiquiorem atque a senio remotiorem quam linguam Novi Test. Accedit ea differentia, quod in N. To. praeter Hebraismorum copiam Latinismi quoque et Aramaismi apparent, a quibus sermo intt. Alexandrinorum est illibatus. Cui *articuli* usus sincerus, et elegans v. c. in illis *ὁ συγκρίσεων οὐκ ἔστιν αὐτό* Gen. XL, 8. et *οὐκ ἦν ὁ ἀναγγέλλων αὐτό* XLI, 8. *οὐκ ἦν ὁ βοηθήσων αὐτῇ* Deut. XXII, 27. cf. ib. XXVIII, 29. 31. 68. de quibus v. Win. §. 17, 3. *casuum* usus legitimus, e. g. *genitivi: δύο πήχεων καὶ ἡμίσους τὸ μῆκος* Exod. XXV, 10. et alibi, *ἐπιδώσῃ* (*τὰ πρωτότοκα*) *ἀργυρίου* Deut. XIV, 24. *λαλήσω σοι ἄνωθεν τοῦ ἱλαστηρίου* Exod. XXV, 22. *λήψῃ τοῦ ἐλαίου* ibid. XIX, 7. *προβεβηκότες ἡμερῶν* Gen. XVIII, 11. XXIV, 1. *dativi: ὡς αἰχμαλωτίδος μαχαίρᾳ* (Gen. XXXI, 26.) Jacobus Labanis filias dicitur abduxisse. Pulchra est *perfecti* et *aoristi ἀντιδιαστολή* Gen. XLVII, 13. 15. 16. *ἐξέλιπεν* et

ἐκλέλοιπεν. Cf. et. Ex. III, 16. ὦπται, antea ὤφθη et ib. VI, 4. Num. XXXIII, 38. 39. ***Modorum*** et ***conjunctionum*** in sententiis hypotheticis accuratissimus est usus. Exemplo esto Bileami dictum ad asinam Num. XXII, 29. ὅτι ἐμπέπαιχάς μοι· καὶ εἰ εἶχον μάχαιραν ἐν τῇ χειρὶ, ἤδη ἂν ἐξεκέντησά σε. Copiam et artem interpretum infra videbimus, ubi exponendum erit, quot modis infinitivum absolutum Hebraeorum junctum cum verbo finito expresserint. ***Verborum cum objecto constructionem*** eleganter sine praepositione factam ejusmodi dictiones exhibent ut προπορεύου τοῦ λαοῦ Ex. XVI, 5. et κατεσκέδασε τοῦ λαοῦ (Μωϋσῆς τὸ αἷμα) ib. XXIV, 8. In Novo T. desideratur genuina et antiqua verbi ὑπακούειν constructio cum genit., quam fere constanter usurpant LXX in Pentateucho. De ***compositis*** apte efformatis in superioribus nonnulla continentur; quibus adjici possint plurima simplicitatem sermonis Hebraici, qui caret verbis compositis, temperantia e. g. ἐπέζησε quod pro simplici verbo Hebr. positum est de reliqua Jacobi post adventum in Aegypto vita Gen. XLVII, 28. Graecismus selectus in ***adjectivo***, ubi de Isaaco in Gerar commorante dicitur: ἐγένετο δὲ πολυχρόνιος ἐκεῖ Gen. XXII, 2, et in ***attractione***: εἶπον ἐμὲ, ὅτι ἀδελφός μου ἐστίν Gen. XX, 13. (cf. Galat. IV, 11.) ubi Hartmannus (***linguist. Einleitung in d. A. T.***) nescio quem Hebraismum detegere sibi visus. Elegans denique ***periodus*** Deut. VIII, 11—16.

Tenendum vero in iis, quae postea de ἰδιώμασι syntacticis sermonis vulgaris et negligentioris exponemus, tantum non omnia illa, ab ipsis auctori-

bus variari, non inveterata haerere et immota, sed plerumque statim in vicinia usum rectum et accuratum juxta reprobum inveniri. Persuasum nobis est, eos si id fuisset in consilio ipsorum positum, *potuisse etiam in stylo Atticam puritatem aemulari*, qui poetas et elocutionem sublimem sibi non fuisse ignotam, suo loco prodant, ut supra docuimus lib. I, §. 16. Nam qui ad poetarum stylum valebant exsurgere, iidem etiam prosaicos scriptores imitari poterant, dummodo vellent; noluerunt igitur, et ita scribere maluerunt, quomodo popularibus lingua Graeca vulgari utentibus quam maxime dilucidi essent et perspicui. Jam vero *syntaxis* τῶν ὁ quae indicia usus vel potius abusus serioris et vulgaris in Pentateucho exhibeat disserendum.

§. 14.

Articuli negligenter ac paene vitiose *omissi* praesto sunt exempla pauca: Ex. XVI, 7. τὸν γογγυσμὸν ὑμῶν ἐπὶ τῷ Θεῷ. Facilius potest excusari ejusdem omissio Ex. XXI, 25. τῷ ἀδελφῷ τῷ πενιχρῷ παρὰ σοί. Alia exempla videntur esse ed. Rom. vitia: Gen. XXV, 30. habet τοῦ ἐψήματος πυῤῥοῦ τούτου ubi reliquae recte τοῦ πυῤῥοῦ, Num. V, 31. καὶ γυνὴ ἐκείνη λήψεται τὴν ἁμαρτίαν αὐτῆς, ubi Alex. ἡ γυνὴ ἐκείνη. Alibi vero Origenis asteriscus soloecismo textum deturpavit: Ex. XXIX, 13. πᾶν τὸ στέαρ τὸ ἐπὶ τῆς κοιλίας καὶ τὸν λοβὸν ※ ἐπὶ: τοῦ ἥπατος, ubi si lectio Hebraico textui וְאֶת־הַיֹּתֶרֶת עַל־הַכָּבֵד penitus debebat conformari, τὸν ἐπὶ τοῦ ἥπατος corrigendum erat. Antiqua autem τῶν ὁ manus

scripserat τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος. Nam transpositionem artificiosiorem: τὸν τοῦ ἥπατος λοβόν ab his auctoribus non curari, vix est quod moneamus. Suspecta pariter lectio Ex. XXXVI. extr. ἐπὶ τὸ λῶρα ὑακίνθινον.

Αὐτός in nomin. pro οὗτος, ubi Latini: *ille* vel *is*, non: *ipse*, saepius legitur e. g. Gen. XXXVI, v. l. Dignum observatu, *fem.* pro αὕτη et *neutr.* pro τοῦτο pariter non usurpari, sed solum mascul. αὐτός. In fem. αὕτη legitur Gen. XXXV, 19. 27. XXXVI, 1. XXXVIII, 5. Lev. XV, 29. at ib. XXI, 9. τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτῆς αὐτὴ βεβηλοῖ cf. XXII, 12. Eadem res in Novo T. observatur. In casibus obliquis utrum αὐτοῦ scribant an ἑαυτοῦ cett. Novi T. editores saepissime haesitant. In editionibus τῶν ὁ ea lex videtur servari, ut αὐτοῦ nunquam, sed si reflexivum flagitatur, ἑαυτοῦ distincte scribatur *), reflexivum autem multo rarius adhibeatur, quam illic per curam criticorum factum videmus. Expungerent ii quod est Lev. XIV, 8. ξυρηθήσεται αὐτοῦ πᾶσαν τὴν τρίχα. — *Reflexiva* ἑαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἐμαυτοῦ, ἑαυτῶν (et interdum ὑμῶν et ἡμῶν αὐτῶν) creberrime sine magna vi. Simplex οὗ, οἷ, ἕ non adest. *Personalia* saepe superflue verbo praeposita, et Hebraismum produnt, et sunt loquelae parum accuratae indicio. *Relativum* in neutro pluralis non male ad σύνεστιν potius quam ad vocabulum antecedens accommodatum e. c. εἶδε δὲ Ἰσραὴλ τὴν χεῖρα τὴν μεγάλην, ἃ ἐποιήσε κύριος τοῖς

*) αὑτῷ me legere non memini nisi Deut. XVII, 18. ubi Alex. ἑαυτῷ.

Αἰγυπτίοις Exod. XIV, 31. Et ubi ad neutrum ἔθνη refertur, frequens masculinum εἰς οὓς Ex. XXIII, 27. Deut. IV, 27. Nec dissimilis ratio: ἵλεως γένου τῷ λαῷ σου Ἰσραὴλ, οὓς ἐλυτρώσω Deut. XXI, 8. cf. Exod. XXXII, 11. Deterius, si lectio vera est v. Num. XXX, 7.

Ad *verba* quod attinet, primo notandum, *transitiva* multa sensum accipere intransitivum. In προσάγειν, ἐπιστρέφειν, ἐγγίζειν, ἀπαίρειν, μεταβάλλειν res non nova; insolentior in κατισχύω (καὶ κατίσχυσεν ἡ καρδία Φαραὼ Ex. VII, 13.) in κορέννυμι (κορέσουσι *satiabuntur* Deut. XXXI, 20.) et καταπαύω. Nam uti semper παύομαι et ἀναπαύομαι LXX in *medio* dicunt, ita καταπαύω semper in *activo*. Utrumque unâ conspicitur Exod. XXXI, 17. 18. τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ (Deus) ἀνεπαύσατο καὶ κατέπαυσεν. Καὶ ἔδωκε Μωϋσῇ ἡνίκα κατέπαυσε λαλῶν αὐτῷ τὰς δύο πλάκας. Eadem vero verba etiam *causativâ vi* leguntur καταπαύω Ex. V, 5, κατασπεύδω ib. v. 10, ἐξῆρε δὲ Μωϋσῆς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ *proficisci jussit* Exod. XV, 22. E contrario Winerus (pag. 24. ed. III.) id quoque inferioris Graecitatis proprium censet, ut in verba neutra vis causativa transferatur. E Novo Test. μαθητεύειν et θριαμβεύειν affert. E versione LXXvirali ζῆν et βασιλεύειν, quae per merum Hebraismum causative dicta esse arbitramur (in *Pentateucho* vero nondum ita leguntur), sicut et reliqua ejus generis, de quibus infra. Unicum αὐτάρκησεν αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ Deut. XXXII, 10. ex Hebraeo usu non ducit originem.

Tempora plerumque recte discerni et sua nativaque vi praedita poni, supra contendimus; de futuro hebraïzanti infra dicendum, aliae jam pro-

ferendae exceptiones. Ex. XXXII, 8. Deut. XXI, 7. *perf.* et *aor.* alternant, quod etiam in classicorum stylo fortassis toleretur, attamen adnotare voluimus. Aoristus ὡς δ' ἂν εἰςῆλθεν haud sine menda legitur verbis in impf. positis intermixtus de re saepe repetita Ex. XXXIII, 9, et talia plura adsunt e. g. ἡνίκα δ' ἂν ἀνέβη ἡ νεφέλη ἀπὸ τῆς σκηνῆς, ἀνεζεύγνυσαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ — εἰ δὲ μὴ ἀνέβη ἡ νεφέλη, οὐκ ἀνεζεύγνυσαν ib. XL, 36. 37. Ibi sane Latine vertens plusquamperfectum reponerem: *quotiens ascendisset, si non ascendisset*, qua ratione minus molestus erit aor.; sed alia statim afferenda.

Plura in *modorum* usu lectorem offendunt. *Indicativum* LXX non verentur subjungere conjunctionibus cum ἂν copulatis: ὅταν ἐκαθίσαμεν καὶ ἠσθίομεν Ex. XVI, 3. ὅταν ἐπῆρε Μωϋσῆς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, κατίσχυεν Ἰσραήλ, ὅταν δὲ καθῆκε τὰς χεῖρας αὐτοῦ κατίσχυεν Ἀμαλήκ Ex. XVII, 11. ἡνίκα δ' ἂν ἔτεκε τὰ πρόβατα οὐκ ἐτίθει Gen. XXX, 42. ἡνίκα δ' ἂν εἰςεπορεύετο Μωϋσῆς εἰς τὴν σκηνήν Exod. XXXIII, 8. et v. sq. ὡς δ' ἂν ἐξῆλθε Μωϋσῆς κτλ. ὅταν κατέβη ἡ δρόσος ἐπὶ τῆς παρεμβολῆς, κατέβαινε τὸ μάννα ἐπ' αὐτῆς Num. XI, 9. ὅταν ἔδακνεν ὄφις ἄνθρωπον καὶ ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὸν ὄφιν τὸν χαλκοῦν, καὶ ἔζη Num. XXI, 9. denique πᾶν ὃ ἐὰν ἐκάλεσεν αὐτὸ Ἀδάμ Gen. II, 19. Conferatur de his Winerus §. 43. Sed non παροπτέον, eum abusum plerumque locum non habere nisi *cum tempp. praeteritis*, maxime imperfecto; indic. *praesentis* legitur Gen. XXIII, 13. ἐπειδὰν πρὸς ἐμοῦ εἶ *si mihi faves*, ubi ἐπείγε exspectaveris, sed ib. XIX, 19. ἐπειδὰν εὕρεν ὁ παῖς σου ἔλεος ἐναντίον σου. Praeterea ἐάν cum conj. regu-

liter construitur, sive praes. sive aoristi. Corrupta enim Ex. XXIII, 22. Alexandrini lectio ἐὰν ἀκούσῃ (*si audierit*), sincera Vaticani: ἐὰν ἀκούσητε (*sin audieritis*).

Quod *optativus* is, qui a conjunctionibus *pendeat*, praecedente tempore historico, paene omnino evanuit in versionis Alexandrinae stylo, inde lingua a prisca copia et subtili dictione longe delapsa cognoscitur. — Incertae videantur lectiones Gen. XIX, 8. καθὰ ἂν ἀρέσκοι ὑμῖν ubi Alex. rectius ἀρέσκῃ. Num. XXII, 4. νῦν ἐκλείξει πάντας ὡςεὶ ἐκλείξαι ὁ μόσχος τὰ χλωρὰ, ubi id. deterius praebet: ἐκλείξει, convenit enim de hoc optativo *in simili* editionibus Deut. XXVIII, 29. ἔσῃ ψηλαφῶν ὡςεί τις φηλαφήσαι τυφλὸς et XXXII, 11. ὡς ἀετὸς σκεπάσαι νοσσιὰν αὐτοῦ, Num. XI, 2. λαβὲ αὐτὸν εἰς τὸν κόλπον σου ὡςεὶ ἄραι τιθηνὸς τὸν θηλάζοντα. Gen. XXXIII, 10. εἶδον τὸ πρόσωπόν σου ὡς ἄν τις ἴδοι πρόσωπον Θεοῦ. Falsus tandem conjunctivus Deut. VIII, 5. ὡςεί τις ἄνθρωπος παιδεύσῃ τὸν υἱὸν αὐτοῦ, οὕτω κύριος ὁ Θεὸς παιδεύσει σε. Praeterea tantummodo in *votis* restat optativus: γένοιτο אָמֵן et μὴ γένοιτο לִי חָלִילָה (in qua locutione optativus hodieque paene unica superstes) ἐπιπέσοι ἐπ' αὐτοὺς φόβος καὶ τρόμος Exod. XV, 16. εὕροιμι χάριν ἐναντίον ὑμῶν Gen. XXXIV, 11. ἀποθάνοι ἡ ψυχή μου ἐν ψυχαῖς δικαίων Num. XXIII, 10. et in loco impedito Genes. XLIX, 6: εἰς βουλὴν αὐτῶν μὴ ἔλθοι ἡ ψυχή μου καὶ ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρίσαι τὰ ἥπατά μου. Ibi et nos ἐρεῖσαι scribendum censemus, coll. Prov. IV, 4., at ἐρεῖσαι,

uti vitiose Schleusnerus in thesauro et Schumannus in editione Pentateuchi (Lips. 1830), absit ut legamus. — Alias semper *conjunctivus* locum optativi explet, qui etiamnum apud Graece loquentes, e. g. εἶπεν — (Ῥουβὴν) ὅπως ἐξέληται αὐτὸν ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν καὶ ἀποδῷ αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ Gen. XXXVII, 22. Ita post *verendi verba* etiam in *narratione*, post conjunctiones *consilium* exprimentes, post conjunctiones *temporales*. Conf. Winer. §. 42, b.

Conjunctivus praetermisso ἵνα, e sententia supplendo, vice imperativi videatur fungi Ex. VIII, 8. (h. 4.) περιελέτω — καὶ ἐξαποστελῶ τὸν λαὸν καὶ θύσωσι τῷ κυρίῳ cf. ib. XVI, 5. Ambigua est constructio Deut. XXV, 1.

Infinitivus frequentissime τελικῶς et ἐκβατικῶς, modo *cum* τοῦ (cujus numerosa exempla v. apud Winerum §. 45, 4, b.) modo *solus* post ἔρχεσθαι et similia, ἦλθον ἀγοράζειν, κατέβη ἰδεῖν (v. Sturz. pag. 139), positus, ubi Atticismus participium futuri vel ὥστε flagitat, et σχήματι λόγου sermonis κοινοῦ et Hebraismo tribuendus. Conspirant h. l. Hebraicus usus infinitivi cum ל et τῆς κοινῆς λαλιᾶς ἰδίωμα.

§. 15.

Alexandrina in *verborum cum accusativo constructione* perhibet Sturzius (l. c.) haec esse in Pentat.: ὁ κύριος πολεμεῖ τοὺς Αἰγυπτίους περὶ αὐτῶν Ex. XIV, 25. et ἐξελθεῖν τὴν θύραν ac τὴν πόλιν, adde τὰ ὅρια Num. XXXV, 26. Merum Hebraismum existimarem, nisi Exod. XII, 22. di-

versa esset in Hebraico constructio. Constructiones nimis Hebraizantes infra citabimus. Leve, quod προςκυνεῖν τινα pro τινι grammatici dici vetant; utrumque apud τοὺς ὁ cf. Gen. XXXVII, 9. 10. *Accusativum* loci sine praepositione positum, καὶ ἀνέβησαν φάραγγα βότρυος Num. XXXII, 9. demiror, quum ita Graeci dicere non videantur nisi poetice. Ed. Ald. l. c. ἕως inserit, Compl. et cod. Ox. εἰς, ut vitato genere dicendi insolito verba ad Hebr. textum accomodent. — *Genitivus absolutus* manente in seqq. eodem subjecto ab Aristotelis et Diodori Siculi stylo dicitur non alienus esse, sed tam hiulce apud illos usquam inveniri pronuntiatum non existimo quam v. c. Ex. IV, 21. πορευομένου σου καὶ ἀποστρέφοντος εἰς Αἴγυπτον ὅρα πάντα τὰ τέρατα κτλ. (cf. ib. XIV, 18. et Gen. XLIV, 4.) nec tam dure quam Exod. V, 20.: συνάντησαν δὲ Μωϋσῇ καὶ Ἀαρὼν ἐρχομένοις εἰς συνάντησιν αὐτοῖς ἐκπορευομένων αὐτῶν ἀπὸ Φαραώ, ubi genitivum absolutum ne uno quidem vocabulo interjecto praecedit idem subjectum in dativo. Ansam dederat horum soloecismorum Hebraicus usus infinitivi cum praep. ב et cum suff. (e. g. בְּצֵאתָם), quem ita per genit. absol. exprimere consueverunt. Attamen pulcherrimum analogon adscire possumus e vulgari loquela papyri Taurin. IVti: ὁμολογεῖ Ἀπολλώνιος — τοῖς πέντε Χολχύταις κατοικούντων τὴν αὐτὴν πόλιν συνλελύσθαι αὐτοῖς, affatim hercle soloeca ista, quae etiam ἀναντιπόδοτα et ἀνακόλουθα styli vulgaris quantacunque patrocinio justo defendant.

Multae sunt *structurae negligentiores*, inci-

pientes a casu absoluto Nom. vel Acc., a quibus stylus scriptorum Graecorum minime abhorret. Cujus rei quum plerumque occasionem praebuerit Hebraici textus indoles, quam in construendo LXX passim imitantur, de his infra dicendum. Aliena autem ab Hebraismo ea ἀνακολουθίας species, quando enunciatio incipit a participio in nominativo, deinde diversum subjectum infertur. Exod. IX, 7. ἰδὼν δὲ Φαραὼ, ὅτι οὐκ ἐτελεύτητεν ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν Ἰσραὴλ οὐδέν, ἐβαρύνθη ἡ καρδία Φαραώ. Num. XXII, 2. 3. καὶ ἰδὼν Βαλὰκ υἱὸς Σεπφὼρ πάντα ὅσα ἐποίησεν Ἰσραὴλ τῷ Ἀμορῥαίῳ, καὶ ἐφοβήθη Μωὰβ τὸν λαὸν σφόδρα cf. Exod. XXI, 13. et quae Winerus habet §. 64, II, 1. init.

Soloecismorum occasionem, non necessitudinem, praebuit formula לֵאמֹר nam λέγων et λέγοντες quasi pro adverbiis habentur: ὃν τρόπον συντέτακταί μοι *a me praeceptum est* λέγων Lev. VIII, 38. ἐγένετο ῥῆμα κυρίου λέγων Gen. XV, 1. φωνὴ — λέγων ib. v. 4. Alex. habet. ἀνηγγέλη (τῷ Ἀβραάμ) λέγοντες ib. XXII, 20., XXXVII, 24., XLVIII, 2. et διεβοήθη ἡ φωνὴ (fama) λέγοντες ib. XLV, 16. Alias nihil molesti e. g. ἀκήκοα περὶ σοῦ λεγόντων ib. XLI, 15.

Orationem leviter variarunt, textu originali permoti, in hunc modum; ἕως τοῦ ἀποστρέψαι τὸν θυμὸν τοῦ ἀδελφοῦ σου καὶ ἐπιλάθηται Gen. XXVII, 44. cf. XXIX, 8.

Attractionem relativi non mirum observari. Vix saepius quam a Graecis fieri solet omittitur, et ubi omittitur Ex. XXXII, 35. Deut. X, 2; XI, 28; XXVIII, 67. variant codd. et edd. Exempla observatae apponam duriuscula, inde ex-

plicanda quod ἐντέλλεσθαί τινί τι dici potest pro περί τινος. Gen. III, 11. ἀπὸ τοῦ ξύλου οὗ ἐνετειλάμην σοι τούτου μόνου μὴ φαγεῖν et Ex. XXXII, 8. ἐκ τῆς ὁδοῦ ἧς ἐνετείλω αὐτοῖς. Quale et illud quod Hebr. IX, 20. citatur: τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός. Idem genus Deut. IX, 24. ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἐγνώσθην ὑμῖν, quia dici potest ἣν ἡμέραν ἐγνώσθην. *Substantivi* in casum relativi, e nom. in acc. *attractio* Gen. XXXI, 16. πάντα τὸν πλοῦτον καὶ τὴν δόξαν, ἣν ἀφείλετο ὁ Θεὸς τοῦ πατρὸς ὑμῶν ἡμῖν ἔσται. Ejusdem modi illud: λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ ἐργόται, ἐγένετο εἰς κεφαλὴν γωνίας, quod in N. T. quoque manavit, et in Zachariae cantico: ὅρκον ὃν ὤμοσε τοῖς πατράσιν ἡμῶν. Quamquam per accus. absol. haec explicare aliquis malit, vel per variationem ἀνακόλουθον structurae. Quae ratio fortassis praeferenda Gen. l. c. et Deut. XI, 24. πάντα τὸν τόπον, οὗ (ms. Oxon. Ald. Compl. ὃν) ἐὰν πατήσῃ τὸ ἴχνος τοῦ ποδὸς ὑμῶν, ὑμῖν ἔσται cf. Lev. XXII, 27. ubi accus. mere absolutus, et Act. X, 36. Matth. XII, 36. Manifesta autem substantivi accommodatio ad casum sequentis relativi Num. XIX, 22. καὶ παντὸς οὗ ἐὰν ἅψηται αὐτοῦ ὁ ἀκάθαρτος, ἀκάθαρτον ἔσται.

Verum etiam ad inauditam attractionem progressi essent dicentes ἐκ τῆς γῆς ἧς ἐγεννήθην Gen. XXIV, 7. *e terra in qua natus sum*, nisi legendum ἧς ἐγενήθην, *cujus sum*.

Pauca supersunt de *particulis* dicenda. In ipsis Graecorum scriptis animadvertitur οὗ, ποῦ, ἐκεῖ, nempe ea adverbia, quae stare aliquid in aliquo loco significant, ita quoque adhiberi, ut moveri

aliquid aliquo exprimant. Apud LXX autem *οἱ, ποῖ, ἐκεῖσε* ne legi quidem usquam in omni V. T. videntur. Mirum est quod in Patrum scriptis is abusus successit, ut *ἐκεῖσε* pro *ἐκεῖ* dicatur. Cujus attigit initia Lobeck ad Phrynichum pag. 43. 44. *εἰς* et *ἐν* non magis commutantur quam a scriptoribus classicis. *ἀπὸ* in quibusdam formulis loquendi paululum aliquem offendat, qui *ὑπὸ* exspectarit, quia idem esse debet quod Lat. *prae*, at conferri potest, quod Graecis dicitur: *ἀφ' ἑαυτοῦ*, et *ἀπὸ ξυμμαχίας* quod e Thucydide citatur. Nostri igitur: *οὐκ ἠδύνατο ἡ γῆ φέρειν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ὑπαρχόντων αὐτῶν* Gen. XXXVI, 7. Eadem phrasis Gen. XVI, 10., XXXII, 11. ubi Vat. alii *ὑπὸ*, alii *ἀπὸ τοῦ πλήθους* Hebr. מֵרֹב. Etiam in Novo T. *ἀπὸ τοῦ πλήθους. — οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἐβαρυώπησαν ἀπὸ τοῦ γήρως* Gen. XLVIII, 10. *οὐκ εἰςήκουσαν Μωϋσῆ ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας καὶ ἀπὸ τῶν ἔργων τῶν σκληρῶν* Exod. VI, 9. cf. Deut. XXVIII, 67. — Memoratu digna: *ἔδωκεν πάντα διὰ χειρὸς Ἰωσήφ* Gen. XXX, 35., XXXIII, 10., XXXIX, 4. 22. 23. ubi: *πάντα γὰρ ἦν διὰ χειρὸς Ἰωσήφ. — διὰ χεῖρα δυνάστου* Gen. XLIX, 24. poeticum. — Gen. XL, 14. *μνήσθητί μου διὰ σεαυτοῦ* אִתָּךְ. Notum est *ἀνθ' ὧν propterea quod*, nec Graecis nec nostris rarum, sed hi etiam *ἀνθ' ὧν ὅτι* per pleonasmum, quasi *ἀνθ' ὧν* nihil esset nisi *propterea*, Deut. XXVIII, 62.

De *conjunctionibus* observa, *εἰ* in interrogationibus directis apud nostros ut in Novo T. inveniri. Winerus §. 61, 2. merum abusum serioris et

vulgaris Graecitatis judicat. Id vero observaverim, locis quos observavi omnibus ab εἰ ita incipi interrogationem, ut simul oratio alterius citata incipiat e. g. Gen. XLIII, 7. ἐπηρώτησεν ἡμᾶς — λέγων· εἰ ἔτι ὁ πατὴρ ὑμῶν ζῇ, καὶ εἰ ἔστιν ὑμῖν ἀδελφός; cf. ib. v. 27. XLIV, 19., XVII, 17. Ibi quidem non longe quaerenda videtur duarum constructionum confusio, eandem enim existimo esse *interrogationis directae et indirectae confusionem* quae est *orationis* directae et obliquae, quando quidem indirecta indicativum habet et vicissim directa quoque ab ὅτι orditur. (Ita etiam apud LXX, Exod. III, 12. εἶπε δὲ ὁ Θεὸς Μωϋσῇ λέγων· ὅτι ἔσομαι μετὰ σοῦ.)

Cum *conjunctivo* constructum hic illic in ed. Romana legitur εἰ, cum indicativo ἐὰν et ὅσα ἄν, cum conjunctivo relativa sine ἄν, sed mera librariorum aut editorum aut typothetarum vitia id genus omnia arbitror, quorum aliis ex codicibus et edd. nusquam non suppeditatur correctio.

Unum est ἰδίωμα, quod in hujusmodi constructionibus auctorum seriorum stylo negligentiori tribuendum, id dico quod apparet in Apostoli dicto: ἵνα μὴ εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον. In indicativo dicit ἔδραμον, quia praeteritum tempus significare vult, δράμω autem id non exprimeret. Sic Nostri, ubi minus erat necessaria structurae variatio Lev. VI, 2. ψυχὴ ἣ ἂν ἁμάρτῃ καὶ παρίδῃ — καὶ ψεύσηται — καὶ ἠδίκησέ τι τὸν πλησίον — ἢ εὗρεν ἀπώλειαν (aliquid amissum) καὶ ψεύσηται περὶ αὐτῆς καὶ ὀμόσῃ κτλ.

Repetitae particulae ἐάν τε — ἐάν τε prorsus ut sive — sive Exod. XIX, 13. — Si editionis Romanae lectio vera Num. XIII, 19—21. in interrogationibus indirectis pro εἰ — ἤ *utrum* — *an* scripserunt ἤ — ἤ.

ἐὰν cum relativis, ubi antiquitus ἄν, e. g. ὃς ἐάν, ὅστις ἐάν, ὅπου ἐὰν e N. T. notum a nemine nobis est explicatum. In LXX sexcenties obvium; ἐὰν et ἄν cum relativo omnino promiscua, sed si est particula hypothetica ἐὰν legi solet non ἄν. — ἵνα revera ἐκβατικῶς intelligendum Gen. XXII, 14: καὶ ἐκάλεσεν Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου· κύριος εἶδεν· ἵνα εἴπωσιν σήμερον· ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. Paulo tolerabilius Gen. XXVII, 41: ἐγγισάτωσαν αἱ ἡμέραι τοῦ πένθους τοῦ πατρός μου ἵνα ἀποκτείνω וְאַהַרְגָה Ἰακὼβ τὸν ἀδελφόν μου. — Contra ὥστε in Nostrorum et Novi T. stylo τελικῶς adhiberi animadvertas. Certe LXX pro Hebraico infinitivo cum Lamed etiam ejusmodi in sententiis nonnumquam ὥστε posuerunt, ubi Graecitatem ἵνα vel εἰς τὸ vel solum infinitivum recipere arbitrer. Deut. XII, 20. ἐὰν ἐπιθυμήσῃ ἡ ψυχή σου ὥστε φαγεῖν κρέα, (licet:) ἐν πάσῃ τῇ ἐπιθυμίᾳ τῆς ψυχῆς σου φάγῃ κρέα. Gen. I, 17. καὶ ἔθετο τοὺς δύο φωστῆρας ὁ Θεὸς ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς. In Exodo de caerimoniis ad initiationes adhibendis saepius dicitur לְקַדְּשׁ ὥστε ἁγιάσαι e. g. XXIX, 36., ποίησον νιπτῆρα ὥστε νίπτεσθαι ib. XXX, 18. Similia ib. XXXVI, 2., XXXVII, 5. ὥστε αἴρειν. adde Lev. XXII, 33. Ambiguus est aliorum locorum sensus, nam dicatur

id revera esse consecutum, an modo ab hominibus quaesitum, Ex. VII, 24. ἄρυξαν ὥστε πιεῖν ὕδωρ, ib. XXX, 38. ὃς ἂν ποιήσῃ ὡςαύτως (*chrisma, quale sanctum illud*) ὥστε ὀσφραίνεσθαι ἐν αὐτῷ. cf. VI, 13., VII, 2.

Ceterum *particularum copia exigua;* causa non solum in simplicitate styli Hebraici ejusque penuria particularum posita, sed etiam in ipsius linguae Graecae conditione, quae tunc erat in ore vulgi. Praeter eas, quarum mentio modo facta, in Pentateucho particulae sunt paucae; τε — καὶ solemniter in enumeratione bipartita, sed etiam si plures habet partes hic illic reperitur; μὲν rarum. Rarae etiam binae conjunctae ὅτι γὰρ Lev. X, 17. ἆρά γε interrogativum, καὶ — γε Ex. XXXV, 34. Ex. IX, 2. εἰ μὲν οὖν μὴ βούλει. — Negationes οὐ et μὴ paene semper recte usurpantur. Negligentius dictum: διὰ τὸ μὴ καταλειφθῆναι αὐτῷ οὐδέν Deut. XXVIII, 55. pro μηδέν. Cum οὐ μή in Novo T. saepius conjunctivum, rarius futurum indicativi jungi, Winerus observat §. 60, 3. In Pentateucho futurum indicativi rarissimum inveni, et sicubi invenitur, in aliis edd. vel codd. est conjunctivus aoristi, in aliis οὐ cum futuro, ita ut genuina lectio parum constet: οὐ μὴ τρυγήσεις αὐτόν Deut. XXVIII, 30. sed Oxoniensis cod. οὐ τρυγήσεις, οὐ μὴ θελήσει ὁ Θεός ib. XXIX, 20., sed Complut. ed. θελήσῃ. Ceterum animadvertimus οὐ μὴ frequenter in vetando dictum cum persona 2. conj. aor. eodem sensu, quo οὐ cum ind. fut. Contra in Novo Test. quotiescunque cum 2 persona dicitur, minantis aut promittentis esse videtur, non vetantis; semel Joh. XIII, 8. prohi-

bentis. Quas Winerus §. 59, b. regulas constituit de discrimine particularum *οὐδὲ* et *οὔτε*, *μηδὲ* et *μήτε*, eaedem videntur apud Nostros valere. Quamquam mire Num. XX, 5. ab *οὐ* incipitur, per *οὐδὲ* pergitur, in *οὔτε — οὔτε* desinitur *οὐ οὐ σπείρεται, οὐδὲ συκαῖ, οὐδὲ ἄμπελοι, οὔτε ῥοαὶ οὔτε ὕδωρ ἐστίν.*

LIBER TERTIVS.

§. 1.

Quoniam demonstravimus, quae indicia Graecitatis vulgaris Alexandrinae in Pentateuchi versione LXX interpretum reperiantur, sequitur ut ad Hebraismorum quos admiserunt explicationem transeamus. Et jam sumus exposituri, quem in modum dialecto sua vulgari et quidem τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν τοπικῷ χαρακτῆρι usi sint ad exprimenda verba et constructiones Hebraicas. Liceat autem, quidquid a Scriptorum Graecorum consuetudine recedit atque ad linguam et stylum textus originalis, quem interpretabantur, accommodatum est, Hebraismos appellare. Atque Hebraismos eo sensu dictos in singulis fere versionis commatibus reperies. Etenim paene in nullo versiculo e verbis non animadverteret lector (quamlibet ignarus rerum, quas legeret), se non legere Graeci auctoris opus, non esse talem Graecitatem qualis v. c. est in Josephi Archaeologia, qui elegantiam Grajorum auribus suavem ubique sectatur. Animadvertes autem hebraizare interpretum orationem in *significatione* vocabulorum usuque dictionum, et in *constructione* seu syntaxi verborum et enunciationum, et in ipso *ordine vocabulorum*.

Jam si misso vocabulorum ordine reliquos Hebraismos spectamus, eorum alterum genus ad Lexica referendum, alterum Grammaticae est mandandum, unde *lexicales* dicas et *grammaticales* seu *syntacticos* Hebraismos. Utrumque autem genus lingua Graeca siqua alia facillime potuit recipere, quae non modo in verborum ordine maxime sit flexibilis, sed etiam copia vocabulorum et multitudine significationum mire eximia, ad formanda omnis generis nova verba aptissima atque in constructionibus uberrima. Atque in eo ipso sita est utriusque linguae magna diversitas, qua vix longius aliae distare posse videntur, sive indolem et naturam sive idiomatum magnas omnino copias sive radicum dissimillimarum multa millia spectas. Lingua Canaan, στερεὰ illa et ἀρχαικὴ Israelis septo semper circumscripta nec nisi ad divinarum literarum monumenta condenda umquam adhibita, maxime idonea erat, qua Deus praecepta sua populo e gentibus electo revelaret, cui ἐπαγγελίας Israeli datas mandaret in aeternum usque conservandas; loquela Javan Japhethicarum dialectorum facile prima, literarum humanarum per annos mille decursu admirabili praeter reliquas omnes feliciter exculta et ceterorum τῆς οἰκουμένης populorum magistra, digna inventa est, quae illi succederet et salutare Evangelii mysterium omnibus jamjam gentibus adnuntiandum reciperet. Coepit autem et tanquam didicit loqui inauditas gentibus Revelationis Divinae voces, quum Pentateuchi opus Alexandriae in Ptolemaeorum sermonem transferretur. Tunc primi τῶν παρὰ φύσιν κλάδων, si licet Sancti

Apostoli simile eo quoque referre, in oleam linguae sanctae sunt insiti.

Novo igitur charactere lingua Graeca, quum Hebraica monumenta in eam transferrentur, imbuenda erat, ita ut stylus sacer, materia sua Graecus, forma Hebraicus potius quam Graecus exsisteret. Quod quo commodius fieri posset, effecit non modo linguae Graecae summa flexibilitas et mutationum capacitas, sed etiam multifaria cum in usu verborum tum in syntaxi ejus cum Hebraica conformitas. Nam congruentiam in linguis tam dissitis miram passim latere, nemo qui Hebraismorum naturam consideraverit non inveniet. Quo factum, ut virorum doctorum veterum nonnulli peculiares ea de re composuerint libros.

Multa quidem in syntaxi idiomata multis linguis communia, ut ne idiomata quidem proprie dici possuit. V. c. pluralis post collectiva; Nominativus absolutus antepositus; Parataxis, Hhâl Arabum, (quae Hebraeis et Arabibus etiam frequentiora quam Graecis, Latinis, nostratibus). *Unus* pro *primo*. Verbo objectum ejusdem originis vel significationis appositum. Aliae autem sunt similitudines; quae tantum Hebraicae et Graecae linguae inter idiomata quaedam intercedant. Graeci τί τοῦτο; Hebraei מַה־זֹּאת. Illi τί σοὶ καὶ ἐμοί; (Matthiae §. 389.) hi מַה־לִּי וְלָךְ. Graece dici potest: πολὺ τὸ ἔθνος ἢ ἐγώ, eadem vis, quae in ἢ, est in מִן־. — πλίνθος collective, Herodotus 1, 179, sic לְבֵנָה Exod. I. — ἵππος de *equitatu*, ita סוּס Deut. XVII, 16., XX, 1. — ὁ νεκρὸς apud Graecos

et certis finibus continentur, ne in barbaram quidlibet dicendi licentiam diffluat oratio.

§. 2.

Nulla operis peregrini versio in linguam diversam fieri potest, quin λέξεων ἰδιώματα nova ex usu peregrino adsciscantur. Verba plurima assumunt significationem improprie[illegible]et translatam a propria, ita ut eam μεταφοράν notionis, quae valet in lingua aliena, interpres in suam quoque transferat. Tropicae locutiones recipiendae sunt, quae usitatae non erant, sed intelligi commode possunt. Nullus poetarum et philosophorum eorum, qui non modo popularium suorum vetustiora opera imitantur sed sua proponunt, abstinere potest ab inflectendis et mutandis vocabulorum significationibus, ab inveniendis recentibus dictionibus, atque a novis verbis formandis. Quibus quum id liceat, licet etiam his, qui extraneae gentis συγγράμματα cum suo populo per versiones communicanda suscipiunt. Atque eo plura noviter iis dicentur, quo dissimilior lingua peregrina vernaculae, et quo dissimiliores res et sententiae in opere vertendo ab iis rebus et doctrinis, quae antehac continebantur in propriis libris ejus gentis, cui jam tradenda sunt aliena. Atqui Revelatio Divina, et ea quae ante Christum et quae per Christum facta, si cui nationi in ipsius lingua primo tradenda est, coelum tanquam aperitur et coelestes Veritatis voces audiri incipiunt, novus etiam illuminationis Spiritus offertur nova omnia patefaciens. Qui quum sensus novos et

cognitiones afferat, necesse est, novo etiam dicendi genere utatur; idque non tam Hebraizans dicas quam Biblicum et Christianum *). Amplissime id patet in Novo Testamento, imprimis in Apostolorum epistolis, et in omnium inde fluit gentium linguas, quibus Evangelium adnuntiatur. In Pentateuchi translatione Graeca arctioribus finibus haec καινότης circumscripta propterea, quod ipse nondum veritatis totum πλήρωμα continet, quodque quae ibi revelantur initia doctrinae coelestis minus distant a rerum Divinarum cognitione, quae erat apud Graecos, et ab eorum lingua minus sunt aliena. Quare pauca sunt, quae dicamus de *notionibus theologicis*, quas οἱ ὁ ibi Graece vertunt. Κύριος יְהוָה et Θεὸς אֱלֹהִים, אֵל atque etiam אֵל שַׁדַּי. — πνεῦμα et σάρξ cujus saepe pluralis σάρκες cf. Gen. VI, 3. — Sacrificiorum peculiaria nomina: עֹלָה ὁλοκαύτωσις, —μα et ὁλοκάρπωμα et κάρπωμα, חַטָּאת τὸ τῆς ἁμαρτίας et τὸ περὶ ἁμαρτίας, אָשָׁם τὸ τῆς πλημμελείας, זֶבַח שְׁלָמִים θυσία σωτηρίου, תּוֹדָה θυσία αἰνέσεως —. λογεῖον seu λόγιον (*oraculum*) חֹשֶׁן summi sacerdotis pectorale; δήλωσις (s. δῆλοι) καὶ ἀλήθεια אוּרִים וְתֻמִּים. — שְׁאוֹל ᾅδου (in Pent. semper genitivus). —. חֶסֶד ἔλεος, ἐλεημοσύνη verum etiam δικαιοσύνην ποιεῖν μετά τινος Gen. XXI, 23. XXXII, 10. δικαιοσύνην διατηρῶν Ex. XXXIV, 7. Contra צְדָקָה de Deo etiam ἐλεημοσύνη Deut. VI, 25. XXIV, 13.

*) Omnium optime de hac re egit vir magnus Hamann in epistolarum Hellenisticarum trifolio (*H. Schriften v. Roth*, vol. II, pag. 201 sqq.).

Et haec quidem dicta sint de iis idiomatis, quae in notionibus theologicis sunt posita, Hebraismos autem lexicales eos, qui proprio linguae Hebraicae usui debentur, non nostrum est enumerare, Lexica iis replenda. Afferamus modo diversa eorum specimina.

Vocabulo Graeco tantus conceditur ambitus, quantus est Hebraico, quocum in vi sua nativa congruit. מִשְׁפָּט a שָׁפַט, aptum ei κρίσις a κρίνω. Dehinc κρίσεις etiam de *praeceptis* seu *juribus* Divinis cf. Deut. XI, 1. et alio quoque sensu: αὕτη ἡ κρίσις τῶν ἱερέων· τὰ παρὰ τοῦ λαοῦ, παρὰ τῶν θυόντων τὰ θύματα ib. XVIII, 3. h. e. *haec portio adjudicata*, *hi reditus sacerdotum*. —. נָתַן proprie ἔδωκε, deinde: δώσει σε Κύριος ὑπεράνω ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη ib. XXVIII, 1. — δώσει τὰς ἀρὰς ταύτας ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς σου ib. XXX, 7. cf. v. 15. δῶμεν ἀρχηγὸν *constituamus ducem* Num. XIV, 4.—. קְסָמִים *vaticinia*, deinde *merces vaticiniorum datorum*, eadem μετάφορὰ in μαντεῖα (nec male) admissa Num. XXII, 7.—. Obscurius: λαβὲ τὴν ἀρχὴν שְׂאוּ אֶת־רֹאשׁ πάσης συναγωγῆς υἱῶν Ἰσραήλ Num. XXII, 2. (h. e. *numerate summam*) melius ib. XXXI, 26. 49. λαβεῖν τὸ κεφάλαιον.

Locutiones Graecis inusitatae sed non obscurae, Num. XXXII, 24. τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν (h. e. *id quod dixistis*) ποιήσετε. Ex. XVII, 14. κατάγραψον τοῦτο εἰς βιβλίον καὶ δὸς εἰς τὰ ὦτα Ἰησοῦ שִׂים בְּאָזְנֵי. —. θαυμάζειν πρόςωπον הַכִּיר פָּנִים et נָשָׂא פָּנִים (nam λαμβάνειν πρόςωπον et quae inde derivantur, non sunt in Pentateucho)

ἐκχέειν αἷμα, cett. cett. Tropos nimis duros quandoque vitasse, supra monuimus lib. I. §. 16.

Nonnulla vocabula prorsus nova esse arbitror (siquidem Pentateuchi versio primum ejusmodi literarum documentum), neque in ore hominum ea potius nata concesserim, quam in ipso opere LXX. virali, quum ad imitanda vocabula Hebraica ab Interpretibus formarentur. ἐνωτίζομαι, σαββατίζω, ἀναθεματίζω, πρωτοτοκεύω (*primogenitum facio*) et πρωτοτοκεῖα (*jus primogenitorum*), ἐκτοκίζειν τινὶ τόκον (*exigere ab aliquo usuram*, Deut. XXIII, 19. deest Passowio), ἀποπεμπτόω (ut ἀποδεκατόω) σκηνοπηγία κτλ. Fortassis etiam μακροήμερος (*longaevus*) et μακροημερεύω (item πολυήμερος et —ημερεύω) σκληροτράχηλος alia huc pertinent.

Haec et quae ejusdem notae sunt fere omnia οἱ ὁ videntur primi dixisse et nova protulisse; deinde posteri, Apocryphorum et Novi Test. scriptores dictis semel et in sacro Codice propositis uti non verebantur, sed tanquam styli sacri propria, sua faciebant. Neque aliter se habere existimo Pentateuchi Hebraismos syntacticos, quos deinceps jam sumus exposituri.

§. 3.

1. In *Articuli* legibus maximam partem conspirant Hebraica et Graeca lingua. Itaque rarior erat occasio Interpretibus deserendi usum pure Graecum et ad idiotismos vel soloecismos in articuli usu positos descendendi.

In Hebraica lingua personarum, terrarum, pe-

pulorum *nomina propria* (quae quidem vere sunt propria, non appellativa) carent articulo; excepta sunt tantum gentilitia in ן (quae omnino easdem sequuntur leges, quas appellativa), Graeca nomina propria modo carent, modo non carent. Hic igitur quum optio plerumque penes auctorem esset, poneretne articulum, necne, mirum non est, quod Nostri singulis paene locis Hebraicum usum in textu originali propositum sequebantur. Atque eo procedunt, ut ne obscuritatem quidem vel duritiem vereantur. Nam instar usus Hebraici nonnunquam vel ibi articulum omittunt, ubi casus obliquus nominis proprii neque e terminatione ipsius (quia est indeclinabile) neque ex appositione aliqua potest cognosci. Ex. XXXIX s. fin. τὰς στολὰς τοῦ ἁγίου αἵ εἰσιν Ἀαρών. Lev. XXI, 17. εἶπον Ἀαρὼν *dic Aaroni*. Gen. L, 23. εἶδεν Ἰωσὴφ Ἐφραὶμ παιδία ἕως τρίτης γενεᾶς. Faciliora et longe frequentiora, quae in hunc modum dicta: ἐν Δαυίδ, υἱοὶ Ἀβραάμ (haec in Novo quoque Test.). Imo constanter in ejusmodi formulis nomen proprium in genitivo positum articulo caret, ut γῆ Χαναάν, γῆ Αἰγύπτου (unde et in N. T. Αἴγυπτος semper sine articulo, quod Winerus observat), ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, Ἰησοῦς υἱὸς Ναυῆ (contra Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ dici solet) κτλ.

2. Firmissima est Hebraici sermonis lex, ut ne praefigatur articulus iis substantivis, quae per *genitivum sequentem* vel per *pronomen suffixum* sunt determinata. Eandem in N.T. et apud LXX frequentissime servari Winerus §. 18, 2. observat, sed quod is merus est Hebraismus, non satis agnoscit, etsi exempla e Graecis auctoribus allata

parum esse accommodata ipse non potest non fateri. Et siquando apud Graecos inveniretur, quod esset vere analogon, attamen non ex eorum pauculis dictis sed ex imitatione Hebraici textus, quem ad verbum sequebantur, is usus τῶν ὁ explicandus. Namque a Graeco usu, Hebraici gratia, eo usque nonnunquam discedunt, ut dicant Ῥεβέκκας μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἡσαῦ Gen. XXIX, 1, utque πᾶς, ubi significat *totum* vel in plurali *omnes*, sine articulo usurpent, id quod Graece sine soloecismo fieri non potest.

Offendit Winerum tale quid in N. T. Act. II, 36. πᾶς οἶκος Ἰσραήλ, at eo confugit, ut οἶκος Ἰσραήλ in loco nominis proprii esse dicat, quo omissionem articuli excuset. Videatur quidem alicui eadem valere excusatio in his, quae apud τούς ὁ non semel leguntur, ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτου, πρὸς πᾶσαν συναγωγὴν υἱῶν Ἰσραήλ, ἐκάλεσε πᾶσαν γερουσίαν υἱῶν Ἰσραήλ Exod. XII, 20, et Exod. XIV, 23. πᾶς ἵππος Φαραὼ καὶ τὰ ἅρματα καὶ οἱ ἀναβάται (ubi Hebraica verba totidem verbis exprimuntur). Sed jam cf. Deut. XVI, 15. ἐὰν δὲ εὐλογήσῃ σε Κύριος ἐν πᾶσι γενήμασί σου καὶ ἐν παντὶ ἔργῳ σου ib. XXVIII, 25. ἐν πάσαις βασιλείαις τῆς γῆς Lev. XXIII, 31. ἐν πάσαις κατοικίαις ὑμῶν ib. XXV, 24. κατὰ πᾶσαν γῆν κατασχέσεως ὑμῶν. Ceterum quod πᾶς *quisque* et *quilibet* (nam ita quoque non sine Hebraismo a LXX dicitur, e. c. Deut. V, 8.) regulariter sine articulo ponitur, id noli mirari, quum eadem consuetudo sit Hebraeis, quare in Hebraismum incidendi hic non erat periculum. — Exemplum omissi per Hebraismum articuli, ubi nullum

πᾶς est, neque ullum nom. proprium: Lev. VIII, 33. οὐκ ἐξελεύσεσθε ἑπτὰ ἡμέρας, ἕως ἡμέρα πληρωθῇ, ἡμέρα τελειώσεως ὑμῶν, quae ob omissos articulos Graecis poeticum et priscae linguae sonum praebere debebant, cf. ib. XII, 5. Hujus generis exempla fateor esse rariora, et maxime invaluisse illam consuetudinem omittendi articulum in formulis quibusdam, quae vix aliter amplius proferri potuisse videantur, ut υἱὸς Βεὼρ, βασιλεὺς Αἰγύπτου.— Βασιλεὺς etiam in Inscriptionibus sine articulo.

3. *Articulus indefinitus* in antiquo Pentateuchi sermone nullus exstat, neque apud τοὺς ὁ invenitur, sicuti ne in Novo quidem Testamento. Unum alterumve videatur praesto esse exemplum; Gen. XXII, 13. κριὸς εἷς, at id natum e voce Hebraica אַחַר male lecta, acsi esset אֶחָד per Daleth (cf. XLIII, 14.) quomodo etiam Onkelos: דִּכְרָא חֲדָא Exod. XXIX, 3. καὶ ἐπιθήσεις αὐτὰ ἐπὶ κανοῦν ἕν עַל־סַל אֶחָד, ubi nolim concedere Ewaldo (§. 479 ed. II.), istud אֶחָד sine vi esse positum; nam αὐτὰ intellige (v. 2.) ἄρτους, λάγανα, σεμίδαλιν, quae non ponenda sunt singula in singulis canistris, sed *in uno* omnia.

4. Exstat apud Hebraeos usus articuli tanquam *distributivus*, qui haud scio an a Grammaticis praetermittatur. Nam si commemoratis pluribus, additur, in unoquoque eorum aliquid esse factum; aut nomen ipsum in singulari aut (quod minus offendit) numerale אֶחָד *cum articulo* ponitur. Atque id quoque LXX imitantur. Sic Num. XXIII, 2. aedificatis septem aris et paratis septem bobus

septemque hoedis ἀνήνεγκε μόσχον καὶ πριὸν ἐπὶ τὸν βωμόν בַּמִּזְבֵּחַ. Sic Exod. XVI, 22. *collegerunt manna* δύο γομὸρ τῷ ἑνί. לָאֶחָד cf. Exod. XXVI, 1. 5. 8. et Gen. XLI, 48. — Num. VII, 85. imperatis duodecim patinis et duodecim phialis singularum pondus ita praescribitur: τριακοντα καὶ ἑκατὸν σίκλων τὸ τρυβλίον τὸ ἕν, καὶ ἑβδομήκοντα σίκλων ἡ φιάλη ἡ μία cf. Num. XXVIII, 12. 13. Lev. XXIV, 5.

§. 4.

1. Conspicuus est Hebraismus in usu *pronominum personalium*. A Graecis ea sine vi verbis non praeponuntur, neque Alexandrinae versionis aetate id admissum fuisset a quoquam Graece scribente, neque admitti videmus in Novi T. stylo. Nihilominus τοὺς ὁ induxit eo frequenter Hebraici sermonis exemplum. Tempus praesens et imperfectum sive, ut aptius dicam, durans Hebraei per *participium* suum exprimere amant, sed, quia personarum notae ei non insunt, *non sine pronominibus* personalibus, eaque sunt quasi pro verbo substantivo, nisi id per יֵשׁ et אַיִן exprimitur; Graeci interpretes participium illud suo praesenti vel futuro vertunt, sed, quod jam minime erat necessarium, pronomen et ipsi apponere solent, etiam ubi nulla personarum oppositio rei convenit. Sic Gen. XXX, 1. δός μοι τέκνα, εἰ δὲ μὴ τελευτήσω ἐγὼ מֵתָה אָנֹכִי Exod. II, 14. μὴ ἀνελεῖν με σὺ θέλεις, אַתָּה אֹמֵר et, quod satis luculentum, ib. XIII, 15. διὰ τοῦτο ἐγὼ θύω זֹבְחַ אֲנִי πᾶν διανοῖγον μήτραν —

καὶ πᾶν πρωτότοκον λύτρωσομαι אֶפְדֶּה Num. XXII, 22. ὠργίσθη θυμῷ ὁ Θεὸς ὅτι ἐπορεύθη αὐτός כִּי הֹלֵךְ הוּא Ex. XXXVI, 4. ἕκαστος κατὰ τὸ αὐτοῦ ἔργον, ὃ εἰργάζοντο αὐτοὶ אֲשֶׁר הֵמָּה עֹשִׂים cf. si cumulata exempla petis Gen. XXIV, 37. 42. 43. Apte Deut. XXXII, 40. ζῶ ἐγὼ εἰς τὸν αἰῶνα חַי אָנֹכִי לְעוֹלָם.

Aliud genus: Deut. XXX, 6. ἀγαπᾷν Κύριον — ἵνα ζῇς σύ לְמַעַן חַיֶּיךָ (Alex. add. καὶ τὸ σπέρμα σου cf. v. 19.) Lev. XXIII, 14. ἕως ἂν προσενέγκητε ὑμεῖς τὰ δῶρα עַד־הֲבִיאֲכֶם.

Frequens est, quae huc spectat, formula הִנְנִי sequente participio, in qua suffixum non plus valet, quam ut indicet personam. Huic ἰδοὺ ἐγώ substituitur *), quod et ipsum ita teritur, ut ἐγώ sine omni vi proferri existimes.

2. Hebraizat stylus τῶν ὁ nec minus Novi Test. per summam frequentiam genitivorum μου, σου, αὐτοῦ, ἡμῶν, ὑμῶν αὐτῶν, positorum pro *possessivis*. Ita enim accuratissime assequi poterant Hebraeo-

*) Pro eodem הִנֵּה ponunt nonnumquam pronomen demonstrativum ὅδε, idque δεικτικῶς ut apud Graecos intelligendum e. g. Gen. XLIII, 21. καὶ τόδε τὸ ἀργύριον ἑκάστου ἦν τῷ μαρσίππῳ αὐτοῦ ib. XXV, 24. et XXXVIII, 27. καὶ τῇδε ἦν δίδυμα ἐν τῇ γαστρὶ αὐτῆς Exod. VIII, 29. ὅδε ἐγὼ ἐξελεύσομαι ἀπὸ σοῦ cf. XVII, 6. et Num. XVI, 42. (XVII, 7 H.) et pleonastice: ἰδοὺ οἵδε ἡμεῖς ἀναβησόμεθα הִנֵּנוּ וְעָלִינוּ Num. XIV, 40. Male igitur Gen. L, 18. pro οἵδε ἡμεῖς Töplerus conjecit ἰδὲ ἡμεῖς. Neque enim ἰδὲ usitatum apud LXX, sed ἰδού. Levi emendatione opus est Num. XXIII, 6. καὶ ὁ δὲ ἐφεστήκει.

rum possessiva *suffixa*. Accedit quod lingua Graeca ipsa per se possessivorum usu magis magisque abstinere et genitivos illos cumulare incipiebat, qui in loquela vulgari hodierna ita invaluerunt, ut possessiva ne audiantur quidem amplius nisi in stylo sublimiori. Omnino autem redundare illa pronomina videbantur Graecis cum alibi tum in his formulis, quibus de corporis parte vel de voce alicujus dicitur, ubi LXX ad morem Hebraicum: *ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ εἶδε* Gen. XVIII, 2. *ἐπάρας Μωϋσῆς τὴν χεῖρα αὐτοῦ* Num. XX, 11. Graeci et Latini pronomina reticent, sicut et ipsi LXX Gen. XXIX, 1. *ἐξάρας Ἰακὼβ τοὺς πόδας*. cf. Vorstius *de Hebraismis N. T.* c. XXVII. — Verum iste Hebraismus eo frequenter mitigatur, ut aut modus loquendi per *possessiva* *ἑλληνικώτερος* praeferatur, aut genitivi illi nominibus suis *anteponantur*. Utrumque et sine vi et cum vi quadam usu venit. Gen. XXIII, 9. *δέξαι τὰ δῶρα διὰ τῶν ἐμῶν χειρῶν*, ib. XLIX, 29. *προστίθεμαι πρὸς τὸν ἐμὸν λαὸν* cf. XXXVII, 7. Exod. VIII, 8. Gen. I, 26. *κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν*. Exod. XXX, 28. *τὸ θυσιαστήριον καὶ πάντα αὐτοῦ τὰ σκεύη*. Ib. X, 17. *προςδέξασθε οὖν μου τὴν ἁμαρτίαν ἔτι νῦν ἰδεῖν μου τὸ πρόσωπον*. Gen. XXIV, 44. *τῷ ἑαυτοῦ θεράποντι* et cett.

3, Pronomina *reflexiva* et *reciproca* nulla Hebraeis. Sufficiunt iis reliqua pronomina suffixa personalia aut conjugationes Niphal, Pual, Hophal, Hithpael, aut circumlocutiones, quales אִישׁ לְרֵעֵהוּ vel אִישׁ לְאָחִיו. Pro his LXX Gen. XI, 3. *ἄνθρωπος τῷ πλησίον αὐτοῦ* et XIII, 11. *ἄφεστος ἀπὸ τοῦ ἀδελ-*

φοῦ αὐτοῦ. Num. XIV, 4. ἕτερος τῷ ἑτέρῳ. Tale nihil in N. T. inveniri Winerus monet §. 26. At Hebr. VIII, 11. ἕκαστος τὸν πολίτην αὐτοῦ καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, citata e Jerem. XXXI, 34. אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ וְאִישׁ אֶת־אָחִיו. Verum etiam apud LXX ἀλλήλοις κτλ. pro illis dictionibus non infrequentia.

4. Hebraeorum *relativum* unicum אֲשֶׁר seu שֶׁ (quod in Pentateucho quidem rarissimum) caret omni nota numeri, generis, casus, quae seorsim apponendae sunt, vel statim, vel interjectis aliquot vocabulis. Veteri Graecorum linguae non est tale rel. (hodiernae est ὅπου) sed declinabile ὅς cum adverbiis οὗ, ὅθεν derivatis. Nihilominus LXX, ne id omisisse videantur, quod Hebraico אֲשֶׁר succedit, pleonasmum efficiunt multimodum, et ab Hebraica et a Graeca eloquutione alienum. — Nota sunt e Novo T. ejusmodi dictiones, in quibus idem est relativi et prenominis subjuncti casus, vel sensus omnino correlatus, e. g. in Apoc. VII, 2. οἷς ἐδόθη αὐτοῖς et XII, 14. ὅπου τρέφεται ἐκεῖ. Ejus generis apud LXX Deut. IX, 28. ὅθεν ἐξήγαγες ἡμᾶς ἐκεῖθεν et innumera exempla cum praepositionibus, quale ἡ γῆ ἐφ' ἧς σὺ κατοικεῖς ἐπ' αὐτῆς Gen. XXVIII, 13. Sed hi ultra progrediuntur et variatione aliqua sensum ampliorem reddunt. Gen. XXIV, 37. τῶν Χαναναίων, ἐν οἷς ἐγὼ παροικῶ ἐν τῇ γῇ αὐτῶν, ubi satis erat dixisse ὧν ἐν τῇ γῇ παροικῶ, nam Hebr. nihil nisi הַכְּנַעֲנִי אֲשֶׁר אָנֹכִי יֹשֵׁב בְּאַרְצוֹ. Gen. XLVIII, 15. ᾧ εὐηρέστησα ἐνώπιον αὐτοῦ Exod. XXX, 6. ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ τῶν μαρτυρίων — ἐν οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖθεν Num. XIII, 20. ἡ γῆ, εἰς ἣν οὗτοι ἐγκάθηνται

ἐπ' αὐτῆς (Alex. ἐπ' αὐτήν). Ex. XXXVI, 1 πᾶς σοφὸς τῇ διανοίᾳ, ᾧ ἐδόθη σοφία καὶ ἐπιστήμη ἐν αὐτοῖς אֲשֶׁר נָתַן יְהוָה בָּהֶם. Atque ita quoque, quamvis varietur locutio, mera nonnunquam tautologia evadit: Deut. 1, 22. τὴν ὁδὸν δι' ἧς ἀναβησόμεθα ἐν αὐτῇ et v. 33. τὴν ὁδὸν καθ' ἣν πορεύεσθε ἐπ' αὐτῆς, utrobique Hebr. אֲשֶׁר־בָּהּ, adde Deut. IV, 5. 14. 26. ἡ γῆ, εἰς ἣν εἰσπορεύεσθε ἐκεῖ, uti creberrime loquuntur. Lev. IV, 14. 23. 28. ἡ ἁμαρτία ἣν ἥμαρτον ἐν αὐτῇ; ib. XXVIII, 3. Αἴγυπτος, ἐν ᾗ κατῳκήσατε ἐπ' αὐτῇ. Deut. XXVIII, 60. πᾶσαν τὴν ὀδύνην Αἰγύπτου — ἣν διευλαβοῦ ἀπὸ προσώπου αὐτῶν. Alia ejusdem pleonasmi species incipiens a casu absoluto: πάντα ὅσα ἐστὶν ἐν αὐτοῖς לְכֹל־אֲשֶׁר לוֹ πτερύγια καὶ λεπίδες, ταῦτα φάγεσθε Deut. XIV, 9. ἔθνος ὃ οὐκ ἀκούσῃ τῆς φωνῆς αὐτοῦ ib. XXVIII, 50. Ab attractione relativi, si qua accedit, modo eximuntur talia, αὐτοῦ et reliqua, modo non eximuntur. Deut. XVI, 11. ἐν τῷ τόπῳ ᾧ ἐὰν ἐκλέξηται κύριος — αὐτόν *), at ib. v. 15. ᾧ ἐὰν ἐκλέξηται — αὐτῷ (Alex. Ald. αὐτόν). Neutro loco Hebr. quidpiam praeter אֲשֶׁר. Mira attractio Num. XIV, 31. κληρονομήσουσι τὴν γῆν, ἣν ὑμεῖς ἀπέστητε ἀπ' αὐτῆς Lev. XVII, 7. οὐ θύσουσι τοῖς ματαίοις, οἷς αὐτοὶ ἐκπορνεύουσιν ὀπίσω αὐτῶν.

Ceterum justa me subit suspicio, talia, praesertim ubi ad soloecismum appropinquant ut istud

*) Simile quid legitur Deut. XXVI, 10. ἀπαρχὴν τῶν γενημάτων τῆς γῆς, ἧς ἔδωκάς μοι Κύριε, γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι.

ἡ ἁμάρτια, ἣν ἥμαρτον ἐν αὐτῇ Lev. IV, 14. 23. 28., illata esse ab Origene vel ab aliquo alio textus Hebraici collatore, qui verbum verbo respondere vellet. Cf. Deut. XIX, 1. ubi τὴν γῆν afuisse arbitror; ib. XXIV. ὁ ἄνθρωπος οὗ τὸ δάνειόν σου ἐν αὐτῷ. Atque adeo leguntur *cum asteriscis* talia additamenta in cod. Alex. Lev. c. I. et II. Idem censeo e. g. de αὐτῷ Lev. VI, 39. πᾶσα θυσία — τοῦ ἱερέως τοῦ προσφέροντος αὐτὴν αὐτῷ ἔσται. Malim tollere istud αὐτῷ (לוֹ) quam corrigere cum aliis αὐτοῦ. Aliis locis adjecta esse possunt ab his, qui explere et conformia inter se omnia reddere volebant *).

5. Commune videtur esse utriusque linguae, quod *pronomen interrogativum* abit in relativum. Graecis est ὅστις medium inter ὃς et τίς, quo utuntur in interrogationibus indirectis. Hebraeis nihil positum inter אֲשֶׁר et מִי. Quid, si inde explicandum, quod ὅστις interrogativum a Novo T. prorsus exulat, teste Winero (§. 25, 1)? Ne LXX quidem habent usquam, in interrogatione indirecta. Nam ibi Hebraicum usum sequuti τίς et ipsi usurpant, Exod. XXII, 27. μόνον τοῦτο τὸ ἱμάτιον — ἐν τίνι κοιμηθήσεται *in quo dormiat* בַּמֶּה יִשְׁכָּב. Atque etiam citra Hebraismum, ubi אֲשֶׁר Lev. VI, 4. τίνος ἐστίν, αὐτῷ ἀποδώσει (rem injuste retentam) ib. XIV, 35. καὶ ἥξει τίνος αὐτοῦ ἡ οἰκία ib. XXI, 17. ἄνθρωπος

*) Pronomen αὐτοῦ aliis quoque in constructionibus, quae relativo carent, pleonasmum cum Hebraismo efficit: ἑκάστου τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπίγραψον ἐπὶ τῆς ῥάβδου Num. XVII, 2. (18 H.) אִישׁ אֶת־שְׁמוֹ.

τίνι ἐὰν ᾖ ἐν αὐτῷ μῶμος. Alibi aperta est interrogatio abrupta Exod. XXXII, 26. τίς πρὸς Κύριον; ἴτω πρός με מִי לַיהוָה אֵלַי.

§. 5.

Sequitur ut dicamus de Hebraismis, quos οἱ ὁ, Pentateuchum Graece vertentes in usu *casuum* et quae casus regunt *praepositionum* admisere. Caret lingua Canaan declinatione nominum, qualem Arabica nacta est, Indo-Germanicae praesertim veteres possident. Sed habet tamen eos modos construendi substantiva, qui vim genitivi, dativi, accusativi paene aequiparent, et easdem fere rationes exprimant, quae apud Graecos innata casuum potestate continentur. Quo fit, ut casus ipsi, nullis praepositionibus recti, raro hebraizent, praepositionibus autem juncti, frequenter. Namque Hebraeis frequentissimum est verbum cum objecto per praepositionem construere; primum, quia substantivis Hebraicis nullae, ut diximus, sunt πτώσεις, deinde quia verba cum praepositionibus componi non possunt. Quae quum aliter se habeant apud Graecos, interpositae a LXX ad morem Hebraicum praepositiones plerumque redundant et varios efficiunt pleonasmos. Ceterum id moris, casibus, qui per se sufficiebant, adjiciendi insuper praepositiones, Hebraicae linguae, (unde in stylum τῶν ὁ et Novi T. manavit) convenit cum Homerica simplicitate. Neque ea consuetudo indoli Graecae linguae repugnat, quum ea affines casibus habeat praepositiones, εἰς et πρὸς dativo, ἐξ et ἀπὸ geni-

tivo (ut Winerus monet §. 31, 2). Quare hoc Hebraismorum genus nec soloecismi est incusandum, neque indignum est stylo ad res libris sacris contentas accommodato, etsi succrescunt nonnulla a patrio Graecorum solo aliena. Insuetum sane Graecis dicere εἶναι εἴς τι. Dativum ponere Grajis saepe sufficit, ubi Hebraei לִפְנֵי, οἱ ὁ ἔναντι, ἐναντίον et ἐνώπιον interponunt (quae Graecae auri πλεονάζειν videantur), sed ad constituendum ἀρχαικὸν et sacrum dicendi genus non parum illa faciunt.

Jam vero ita de unoquoque casuum dicturi sumus ut 1. quomodo ipse nulla praepositione adhibita hebraizet 2. qui alii casus aut quae praepositiones per Hebraismum pro ipso ponantur, commemoremus.

1. *Nominativus absolutus* in enunciatione modo ita est *antepositus*, ut singularis ars eluceat, ut in illo (quod Act. VII, 40. citatum est) ὁ γὰρ Μωϋσῆς οὗτος ὁ ἄνθρωπος, ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου — οὐκ οἴδαμεν, τί γέγονεν αὐτῷ Exod. XXXII, 1. cf. Num. XIV, 24., modo per negligentiam quandam videatur admitti e. g. Num. XXXV, 30. πᾶς πατάξας ψυχήν, διὰ μαρτύρων φονεύσεις τὸν φονεύσαντα. Deut. IV, 3. πᾶς ἄνθρωπος, ὅστις ἐπορεύθη ὀπίσω Βεελφεγώρ, ἐξετρίψεν αὐτὸν Κύριος (et plura praecepta ab eo πᾶς incipiunt). Ib. XXI, 3. καὶ ἔσται ἡ πόλις ἡ ἐγγίζουσα (*quae proxima est*) τῷ τραυματίᾳ, καὶ λήψεται ἡ γερουσία τῆς πόλεως ἐκείνης δάμαλιν κτλ. (et sic plures sententiae, quae incipiunt a καὶ ἔσται cf. Gen. XXIV, 14. 44.). Verum et his locis constructionem, quae hebraizat, aliquantum empha-

seos afferre orationi animadvertas. Legitimum autem et solemne id dicendi genus est linguae Hebraicae, ad periodos construendas minus idoneae et pronae; ne Graecis quidem auctoribus insolitum, sed τοὶς ὁ et Novi T. Scriptoribus (v. Winer. §. 28, 3.) frequentius usitatum. Et apud hos quidem (Novi Test. scriptores) ejusmodi ponderosus et tanquam impeditus orationis incessus, Hebraicae ἀρχαιότητος aemulus, sententiarum gravitati nunquam non accommodatissimus. Apud τοὺς ὁ hebraizans illa constructio, qua praecedit nomen objecti, deinde sequitur verbum, denique objectum sive ipsum, sive, quod frequentius est, pro eo pronomen succedit, magis trita videtur quam in Novo Test. In qua interdum num accusativus absolutus sit an nominativus, discerni vix poterit. Gen. XXVI, 15. καὶ πάντα τὰ φρέατα ἃ ὤρυξαν οἱ παῖδες τοῦ πατρὸς αὐτοῦ — ἐνέφραξαν αὐτὰ οἱ Φυλιστιείμ. cf. Gen. XXXV, 12. — Talia igitur in versionis nostrae style historico innumera, quum quasi in eundem locum redit oratio, unde orsa erat, tanquam orbem colligens, rotundamque reddens sententiam, cf. lib. II, §. 15.

2. Verum etiam altera est species nominativi, ejusque non antepositi sed *post alia nomina* collocati, quem item *absolutum* dixerim. Hebraice nomina nomini apposita casum suum per se non produnt, nota casus enim vel praepositio, quae praefixa esse potest substantivo primo, non repetitur ad singula quae sequuntur; quo fit, ut haec absoluta stare videri possint. Et revera fortassis nonnumquam stant absoluta. Ad hoc igitur exemplar οἱ ὁ suam dictionem efformantes, nomina in *casu*

recto apponunt, idiomate, Graecis fortasse prorsus recenti, quod neque e sacris scriptoribus, quoad sciam, imitati sunt, nisi Joannes in Apocalypsi. Proferam e Pentateucho exempla*). 1) Num. XX, 5. ἀνηγάγετε ἡμᾶς ἐξ Αἰγύπτου, παραγενέσθαι εἰς τὸν τόπον τὸν πονηρὸν τοῦτον· τόπος οὗ οὐ σπείρεται, οὐδὲ συκαῖ, οὐδὲ ἄμπελοι, οὔτε ῥοαί, οὔτε ὕδωρ ἐστὶ πιεῖν. — 2) Deut. IV, 11. καὶ τὸ ὄρος ἐκαίετο πυρὶ ἕως τοῦ οὐρανοῦ· σκότος, γνόφος, θύελλα חֹשֶׁךְ עָנָן וַעֲרָפֶל et hoc quidem in concitata tantae rei descriptione minus mirum, sed audi quod 3) ibid. v. 22. ἐλάλησε Κύριος ἐν τῷ ὄρει ἐκ μέσου τοῦ πυρὸς· σκότος, γνόφος, θύελλα, φωνὴ μεγάλη· καὶ οὐ προσέθηκεν· מִתּוֹךְ הָאֵשׁ וְהֶעָרָפֶל קוֹל גָּדוֹל וְלֹא יָסַף (ita quidem Hebr., deest h. l. חֹשֶׁךְ pro quo LXX σκότος, adest ו quod illi omittunt; sed Pentateuchus Samaritanus prorsus ut LXX atque ut Hebr. Deut. IV, 11. חשך ענן ערפל). Eo igitur loco verbis καὶ οὐ προσέθηκε continuatur oratio, et casus isti nominativi omnino absolute sunt interjecti. — 4) Deut. VIII, 8. γῆ πυροῦ, κριθῆς· ἄμπελοι, συκαῖ, ῥοαί· γῆ ἐλαίας, ἐλαίου καὶ μέλιτος (Hebr. ista omnia videntur esse genitivi a γῆ pendentes). — 5) Deut. X, 7. ἀπῆραν εἰς Ἐτεβαθά, γῆ, χείμαρροι ὑδάτων אֶרֶץ נַחֲלֵי מָיִם

*) Fortasse huc pertinet Exod. XXXI, 16. φυλάξουσι — τὰ σάββατα ποιεῖν αὐτὰ εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν, διαθήκη αἰώνιος בְּרִית עוֹלָם (nisi διαθήκη ab interpretibus ad sequentia tractum); certe Lev. XXIII, 18. ποιήσετε — τὴν θυσίαν αὐτοῦ δύο δίκατα σεμιδάλεως — θυσία τῷ Κυρίῳ, ὀσμὴ εὐωδίας Κυρίῳ· καὶ τὴν σπονδὴν αὐτοῦ κτλ.

(Aldina: *γῆν χειμάῤῥον ὑδάτων* ubi manifesta correctoris manus, quae paulo lenior fuit in Alex. lectione *γῆ χειμάῤῥου ὑδάτων*) *). — 6) Denique quod paene durius his omnibus: Deut. XVII, 8. *ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ἀπὸ σοῦ ῥῆμα ἐν κρίσει, ἀναμέσον αἵματος, καὶ ἀναμέσον κρίσις κρίσεως, καὶ ἀναμέσον ἁφὴ ἁφῆς, καὶ ἀναμέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας, ῥήματα κρίσεως ἐν ταῖς πόλεσιν ὑμῶν, καὶ ἀναστὰς ἀναβήσῃ εἰς τὸν τόπον* κτλ. in textu originali nihil insoliti: בֵּין דָּם לְדָם בֵּין דִּין לְדִין וּבֵין נֶגַע לְנֶגַע דִּבְרֵי רִיבֹת בִּשְׁעָרֶיךָ

Missum faciam hoc postremum exemplum, quod quomodo explicem nondum liquet. Id tantum monuerim, quod ex eo patet, etiam praepositionum vim, ubi placebat auctoribus, supprimi et cohiberi potuisse. Ex reliquis autem apparet, ni fallor, interpretes (qui peritiam linguae Graecae et ingenii elegantiam et vertendi artem aliis locis abunde probarunt) non per oscitantiam in soloecismum esse prolapsos, sed data opera hujusmodi abruptum et *ἀσύνδετον* ingressum orationis elegisse, quo augerent et amplificarent gravem et maximi momenti descriptionem. Ita quidem tremendam in Sinai

*) cf. quae et ipsa geographica Num. XXI, 18. 19., et quod est in genealogia Gen. XI, 29. *Μελχὰ θυγάτηρ Ἀῤῥὰν καὶ πατὴρ Μελχὰ καὶ πατὴρ Ἰεσχά.* Utrumque *πατὴρ* debebat esse appositio ad genitivum *Ἀῤῥάν.* Sed mihi lectio suspecta, vel propterea quod *Μελχά* et *Ἰεσχά* non declinata sunt, solent enim alias declinari a Nostris l. l. §. 6. Fortassis tota appositio ad *Ἀῤῥάν* ab Interpretibus olim erat omissa, posthac a correctore qui fuit instar Aquilae *κακόζηλος* male est assuta.

Hebraica non exstat. Locum non habet, nisi subjectus *nomini*, sive substantivo sive adjectivo, eique posito in statu constructo, quale nomen regimen grammatici dicebant; genitivum ipsum nomen rectum appellabant. Atque ea est unica Hebraeis ratio, bina substantiva, vel adjectivum cum substantivo arcte copulandi et quasi componendi, quia ea compositionis facultate, qua nostrae linguae, Indogermanicae excellunt, paene omnino carent. Et quoniam multarum notionum nulla sunt adjectiva Hebraica, sed tantum substantiva, aliarum vero substantiva cum vi quadam adhibentur, ubi nobis adjectiva: inde evenit, ut latissime pateat vis regiminis et recti Hebraici. Quamobrem genitivus Graecorum saepe eam vim aut aegre aut omnino non assequitur. Et revera in multis ejusmodi locutionibus Hebraicis de genitivo omnino non debebamus loqui. LXX vero, quum plerumque genitivum pro nomine recto aptissime ponere possent, eo producebantur, ut tunc quoque ponerent, quando Graeci id facturi non essent, nisi cum emphasi quadam poetica. Alibi vero, ubi genitivo adhibito vel contra leges linguae suae vel contra perspicuitatem peccassent, vitant, aut alium casum substituentes aut compositum vocabulum praeferentes.

Jam primum (A) de genitivo post substantiva posito acturi sumus, deinde (B) de genitivo adjectivis apposito, tum (C) de genitivo absoluto, denique (D) de genitivo, quem verba Graeca regere debebant.

(A) 2. Commune est Graecorum et Hebraeorum, quod genitivum substantivi substantivo sub-

jectum et de subjecto intelligere possunt et de objecto, genitivum usurpare et *subjectivum* et *objectivum*. Objectivi exemplum esto Deut. XXXII, 19. *παρωξύνθη δι' ὀργὴν* מִכַּעַס *υἱῶν αὐτοῦ καὶ θυγατέρων*. Quibus locutionibus οἱ ὁ nihil ausi sunt, quod a sermone Graecorum prosaico discreparet. Sed in his poetica apparet dictio, quando genitivus terminum significat, quo quid tendit, ut in illo *ἡ ὁδὸς τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς* Gen. III, 24. (cf. Matth X, 5. *ὁδὸς ἐθνῶν* et I, 11. *μετοικεσία Βαβυλῶνος*).

3. Hebraeis adjectiva *materiam* e qua quid factum sit significantia nulla sunt, substantiva (*aurum*, *lignum* etc.) ipsa loco nominis recti apponuntur. Id vero etiam in aliis epithetis sollemne. Imitantur nonnunquam LXX: *σκεῦος ἐργάσιμον δέρματος* מְלֶאכֶת עוֹר Lev. XIII, 49. lidem nonnumquam קֹדֶשׁ *τοῦ ἁγίου* vertunt, ubi adjectivo locus erat; longe saepius autem suis adjectivis utuntur: Deut. XI, 11. *γῆ ὀρεινὴ καὶ πεδεινή* אֶרֶץ הָרִים וּבְקָעוֹת Num. XX, 17. *ὁδῷ βασιλικῇ πορευσόμεθα* דֶּרֶךְ הַמֶּלֶךְ נֵלֵךְ, ib. XXXI, 20. *σκεῦος δερμάτινον — ἐργασίαν ἐξ αἰγείας — σκεῦος ξύλινον* ubi עוֹר עִזִּים עֵץ, Lev. XVI, 4. *χιτῶνα λινοῦν, περισκελὲς λινοῦν κτλ.* Alibi *οἶκος πατρικός, ἔργον λατρευτόν* atque adeo *καρπὸς ξύλινος* פְּרִי־עֵץ Lev. XXVII, 30. et alia innumera, pro quibus Hebraice substantiva.

4. Proxime cum his cohaeret genitivus substantivi, qui *qualitatem* alicujus propriam eique prorsus inhaerentem significat, cf. Luc. XVI. *ὁ οἰκονόμος* et *ὁ μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας*. LXX plerumque

in his quoque phrasibus, evitato feliciter Hebraismo, Graecam cogitandi et dicendi consuetudinem non deserunt, quas afferre operae pretium fuerit אַנְשֵׁי חַיִל ἄνδρες δυνατοί Gen. XLVII, 4. (h. 6) et Ex. XVIII, 21. 25. (Jesai. V, 22. οἱ δυνάσται) cf. Deut. III, 18. ubi Ald. male πᾶς συνετός; Num. XXXII, 1. καὶ ἦν ὁ τόπος, τόπος κτήνεσι מִקְנֶה מִקְנֶה *locus pecori aptus*, et ib. γῆ κτηνοτρόφος אֶרֶץ מִקְנֶה. Hebraei si nomini hominis annos aetatis addunt, praedicatum בֶּן interjiciunt, a quo numerus annorum in genitivo positus regi queat. LXX id substantivum Graecis superfluum omittunt et tantum ἦν ἐτῶν κτλ. dicunt, nec saepius quam semel inveni ἦν υἱὸς ἐτῶν Gen. XI, 10. Similia sunt ὁ ἐνυπνιαστὴς בַּעַל הַחֲלֹמוֹת Gen. XXXVII, 19, ἄξιος πληγῶν בֶּן־מַכּוֹת Deut. XXV, 2.

5. Nonnumquam substantivum *appositioni* suae arcte conjunctum ab Hebraeis in statu constructo ponitur, velut istud נְהַר פְּרָת. Hinc LXX semper γῆ Αἰγύπτου, nam quod invenitur ἐν γῇ Αἰγύπτῳ falsa lectio videtur, et Gen. II, 13. τὴν γῆν Αἰθιοπίας, unde colligo, etiam in γῇ Χαναάν et similibus id quod non declinatur esse genitivum.

(B) 6. Licet Hebraeis omne *participium* et *adjectivum* (modo ejus notio determinationem recipiat) apposito substantivo determinare (v. Ewald. §. 490 ed. II.), Adjectivum vel participium in statu constructo ponitur, substantivum nostro sensui genitivus videtur. Talia vero, audacter saepe dicta et sublimia, Graeci suo genitivo exprimere

plerumque non possunt. Nec LXX genitivum adhibere audent, nisi si adjectivum vel participium in substantivum abiit. Sin minus, Graecas construendi rationes eligunt; en igitur exempla

a) Adjectivorum in statu constructo: τοῖς σοφοῖς τῇ διανοίᾳ לְחַכְמֵי לֵב Ex. XXVIII, 2. et ib. XXXI, 6. παντὶ συνετῷ καρδίᾳ לְכָל־חַכַם לֵב Deut. XX, 8. ὁ δειλὸς τῇ καρδίᾳ רַךְ הַלֵּבָב *) ib. XXI, 11. καλὴν τῷ εἴδει יְפַת־תֹּאַר Gen. XXIV, 16. καλὴ τῇ ὄψει. Deut. XXVIII, 51. ἔθνος ἀναιδὲς προςώπῳ עַז פָּנִים, ubi ed. Complut. προςώπου. Plura hujusmodi et e Novo T. et e versione LXXvirali v. ap. Vorstium *de Hebraismis N. T.* c. XXII.

b) Participiorum activi; ubi genitivus est objecti: Exod. III, 8. alibi אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ γῆ ῥέουσα γάλα καὶ μέλι. Deut. XXXII, 24. עִם־חֲמַת זֹחֲלֵי עָפָר μετὰ θυμοῦ συρόντων ἐπὶ γῆν (Alex. al. ἐπὶ τῆς γῆς). Ex aliis libris: Jes. XXXVIII, 18. יֹרְדֵי בוֹר οἱ ἀποθανόντες. Ps. LXXXVIII, 6. (ὁ 87, 5) שֹׁכְבֵי קֶבֶר καθεύδοντες ἐν τάφῳ III. Reg. II, 7. בְּאֹכְלֵי שֻׁלְחָנְךָ ἐν τοῖς ἐσθίουσι τὴν τράπεζάν σου.

c) Participiorum passivi; ubi genitivus est subjecti; absque Hebraismo: Gen. XLI, 6 sqq. שְׁדוּפֵי

*) Graecam dixi et hanc constructionem; namque etsi Atticus scriptor σοφὸς τὴν διάνοιαν vel κατὰ τὴν διάνοιαν dixisset, est tamen non prorsus ἀνειλήνιστον dativo uti, quum dicatur ποσὶ ταχύς, cf. Matthiae §. 424, 4. not. 1. Quamquam mihi quidem istud ποσὶ non tam partem hominis nec rationem videtur significare, qua velox sit, sed instrumentum, quo ei paretur velocitas.

מְקֻדִּים ἀνεμόφθοροι Deut. XXIII, 2. פְּצוּעַ דַּכָּה וכרות שָׁפְכָה θλαδίας οὐδὲ ἀποκεκομμένος. Exod. XV, 11. נוֹרָא תְהִלֹּת θαυμαστὸς ἐν δόξαις. Deut. XXV, 10. בֵּית חֲלוּץ הַנָּעַל οἶκος τοῦ ὑπολυθέντος τὸ ὑπόδημα. Gen. XXVI, 29. καὶ νῦν εὐλογημένος συ ὑπό Κυρίου בָּרוּךְ יְהוָה.

Denique Job. XIV, 1. יְלוּד אִשָּׁה γεννητὸς γυναικὸς unde illud ἐν γεννητοῖς γυναικῶν Matth. XI, 11. Luc. VII, 28. — Jes. LIV, 13. διδακτοὺς θεοῦ cf. Joh. VI, 45. at Paulus I. Thess. IV, 9. θεοδίδακτοί ἐστε. — Cf. Matth. XXV, 34. οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου et apud Apostolum: κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

7. Genitivus sine praepositione *partitivus*, pro Hebraico nomine cui antepositum מִן, a LXX nonnumquam ponitur in ipso subjecto (ut Act. XXI, 6) Num. XIV, 6. Ἰησοῦς — καὶ Χαλέβ — τῶν κατασκεψαμένων τὴν γῆν διερρήξαντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν, cf. Win. §. 30, 5. Alibi praepositionem anteponunt Num. XV, 8. ἐὰν δὲ ποιῆτε ἀπὸ τῶν βοῶν εἰς ὁλοκαύτωσιν.

(C) 8. De abusu quodam *genitivi absoluti* supra diximus lib. II. §. 15. Hujus autem loci est monere, quam ei ansam praebuerit stylus Hebraicus et eum imitandi studium. Sententias interjectas temporales Hebraei plerumque exprimunt per infinitivum cum praepositione praefixa, imprimis בְּ, et pronomine suffixo. Is quidem modus dicendi a Graeca elocutione satis alienus; sed in versione genitivus participii absolutus, quod est idioma Graecorum, saepissime poterat substitui *). Atque ita

*) Sic etiam situm loci describens formula לְבוֹא εἰς πορευομένων ἡμᾶς Num. XIII, 22.

solemne denique fuit τοῖς ὁ, illos infinitivos ita exprimere, etsi idem subjectum antecederet vel idem sequeretur et Graeci certe, genitivo absoluto repudiato, casum participii ad casum ejus subjecti accommodassent. Luculenta h. l. exempla habeas illa e Deut. XI, 19. διδάξετε αὐτὰ τὰ τέκνα ὑμῶν λαλεῖν ἐν αὐτοῖς, καθημένου σου בְּשִׁבְתְּךָ ἐν οἴκῳ, καὶ πορευομένου σου בְּלֶכְתְּךָ ἐν ὁδῷ, καὶ καθεύδοντός σου καὶ διανισταμένου σου בְּשָׁכְבְּךָ וּבְקוּמֶךָ. Jam non miraberis etiam alibi ita loquentes: Deut. XV, 10. οὐ λυπηθήσῃ τῇ καρδίᾳ σου, διδόντος σου αὐτῷ בְּתִתְּךָ לוֹ, ib. XVI, 9. ἀρξαμένου σου τὸ δρέπανον ἐπ' ἀμητὸν, ἄρξῃ ἐξαριθμῆσαι ἑπτὰ ἑβδομάδας מֵהָחֵל וגו׳ Exod. IV, 21. πορευομένου σου καὶ ἀποστρέφοντος εἰς Αἴγυπτον, ὅρα πάντα τὰ τέρατα — ποιήσεις cf. Lev. XVI, 23. *).

(D) 9. Proferenda deinceps exempla *verborum*, quae a Graecis νομίμως cum genitivo con-

---

*) Atque eodem pertinent, quae in stylo historico Novi Testamenti reperiuntur, sententiae incipientes ab hujusmodi genitivo quamvis idem subjectum alio casu positum statim succedat e. g. Luc. XXII, 15. Marc. XI, 27. qua de re Winerus §. 30 sub fin. Formulae istae participiales prorsus eodem in usu sunt, in quo infinitivi illi Hebraici. Et si quando genitivus transit in dativum, quia verbum dativum regens sequitur, remanet tamen pronomen αὐτῷ, αὐτοῖς quod est loco suffixi (inseparabile a participio suo ut suffixum ab infinitivo), atque interjectis paucis vocabulis objecti loco positum recurrit καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ ἐκ τοῦ πλοίου εὐθέως ἀπήντησεν αὐτῷ ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος Marc. V, 2. וּבְצֵאתוֹ מֵהָאֳנִיָּה וַיָּבֹא אִישׁ לִקְרָאתוֹ וגו׳.

struuntur, a LXX autem, quia ejus generis constructionem textus Hebraicus non recipit, cum alio casu, vel nudo vel a praepositione recto. Gen. XXXVII, 8. μὴ βασιλεύων βασιλεύσεις ἐφ' ἡμᾶς עָלֵינוּ καὶ κυριεύων κυριεύσεις ἡμῶν; Exod. XVII, 2. ἐδίψησεν ὁ λαὸς ὕδατι לַמַּיִם (Matth. V, 6. οἱ διψῶντες δικαιοσύνην, Graeci v. acc. et c. gen. Win. §. 30, 7). — ἐσθίειν et φαγεῖν cum acc. et cum genit. usurpantur, velut a Graecis; saepissime enim φαγεῖν ἄρτον Gen. III, 18. φάγῃ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ, XLVII, 22. καὶ ἤσθιον τὴν δόσιν ἣν ἔδωκεν αὐτοῖς et cett. at ubi partitive, φαγεῖν τοῦ καρποῦ Gen. II. III. ubi item non male φαγεῖν ἀπὸ τοῦ ξύλου, at cum Hebraismo etiam ἀπὸ τοὺ καρποῦ τοῦ ξύλου מִפְּרִי הָעֵץ. — μνησθῆναι non male accusativum regit, si est i. q. *memoria tenere* e. g. Exod. XX, 8. μνήσθητι τὴν ἡμέραν τοῦ σαββάτου, nec deterius est Gen. XL, 14. μνήσθήσῃ περὶ ἐμοῦ, verum etiam ubi est i. q. *recordari*, si quid venire in mentem dicitur, Exod. XXIII, 13. ὄνομα θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθήσεσθε.— Merus hebraismus ὀσφραίνεσθαι ἐν αὐτῷ לְהָרִיחַ בּוֹ Exod. XXX, 38. — φείδεσθαι Graeci semper cum genitivo. Atque ita passim LXX, ut in illo οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου τοῦ ἀγαπητοῦ Gen. XXII, 12. Sed quia formula est Hebraica אַל תָּחוֹס עֵינְךָ עַל־, etiam οἱ ὁ νῦ φείσεται ὁ ὀφθαλμός σου ἐπ' αὐτοῖς, ἐπ' αὐτῷ Deut. VII, 16. et saepius. Sic quidem in Pentateucho, alibi vero etiam φείδεσθαι ἐπί τινος, ἐπί τινα, περί atque ὑπέρ τινος denique cum dativo (Job. VII, 11) et accusativo (ib. XVI, 5). — ὑπακούειν Graeci et LXX τινὸς et τινί, sed Deut. XXI, 18.

οὐχ ὑπακουόων φωνὴν πατρὸς καὶ φωνὴν μητρός, duplex istud φωνὴν videtur esse additamentum ex Hebr. textu illatum. Genuinus autem τῷ ὁ Hebraismus Gen. XLI, 40. ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός, quamquam id non perinde est ac σοὶ ὑπακούσεται.

10. Affinis est superioribus hebraizans pleonasmus, ubi adjectiva ἀθῷος et καθαρός non cum solo genitivo junguntur, sed cum praepositione ἀπό, quum Hebraice dicatur נָקִי מִן et verbum נִקָּה מִן. Neque inepte id ἀπὸ interjicitur, quando non culpae sed sacramenti vel poenae mentio fit, quae desinit obligatum tenere hominem. Gen. XXIV, 8. ἀθῷος ἔσῃ ἀπὸ τῆς ἀρᾶς μου, ib. 41. ἀπὸ τοῦ ὅρκου σου, Num. V, 19. ἀθῶα ἴσθι ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐλεγμοῦ. Attamen etiam ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ib. v. 31;— ἀπὸ τοῦ αἵματος ἀθῷος Matth. XXVII, 24, et καθαρός Act. XXX, 26.

§. 7.

1. Nota dativi, quam vocant, Hebraeis est לְ. Cujus usus aliqua ex parte latius patet quam dativi Graeci. Nec véro LXX dativum usquam, nisi fallor, ita usurpant ejusque vim ita extendunt, ut dativus ipse hebraizare videatur. Imo liberius versantur in versione: 1) ubi לְ temporale Gen. III, 8. לְרוּחַ הַיּוֹם τὸ δειλινόν. Exod. VIII, 22. (h. 19) לָמָחָר ἐν τῇ αὔριον. Gen. VII, 4. לְיָמִים עוֹד שִׁבְעָה ἔτι δὲ ἡμερῶν ἑπτὰ ἑπάγω ἐγώ h. e. *post VII dies* (cf. de gen. Matthiae §. 377, 2, b). Num. XVI, 34. לִקְרָאתָם ἔφυγον ἀπὸ τῆς φωνῆς αὐτῶν. — 2) Ubi

substantivum substantivo per ל subjunctum, idque ל possessorem, cujus est aliquid indicat (quae dicendi ratio statui constr. proxima v. Ewald §. 504), modo e consuetudine Graecorum Genitivus solus ponitur Gen. XLI, 12. παῖς Ἑβραῖος ταῦ ἀρχμαγείρου לְשַׂר הַטַּבָּחִים ib. XXIX, 9. μετὰ τῶν προβάτων τοῦ πατρὸς αὐτῆς לְאָבִיהָ אֲשֶׁר modo cum relativo et verbo εἶναι dativus adhibetur Gen. XL, 5. τοῦ ἀρχιοινοχόου καὶ τοῦ ἀρχισιτοποιοῦ, οἳ ἦσαν τῷ βασιλεῖ Αἰγύπτου. Ubi לְהָיָה dativum nonnunquam admittunt (qui Graecis non indictus cf. Matthiae §. 389) Gen. XLVII, 20. ἐγένετο ἡ γῆ τῷ Φαραώ. Quamquam alibi Graecam consuetudinem servant ib. XXXII. 17. 18. τίνος εἶ; — καὶ τίνος ταῦτα τὰ προπορευόμενά σου; ἐρεῖς· τοῦ παιδός σου Ιακώβ. Alibi πάντα ὅσα σοί. Optime de his egit Vorstius *de Hebraismis Novi T.* c. XI.

2. Compluria Verba a Graecis cum dativo, ab Hebraeis aliter construuntur. Hebraicam eorundem constructionem in Pentateucho nonnumquam habes Graece expressam. ἁμαρτάνειν τινι et εἰς τινα Graeci; LXX τινί nonnumquam dicunt, sed extra Pentateuchum, in ipso modo εἰς τινα et (Exod. XXII, 33) πρός με, modo ἐνώπιον, ἔναντι, ἐναντίον τινός. — ἀρᾶσθαι in Graecitate puriori cum dativo personae conjungitur; nostri ἀρᾶσθαι et ἐπικαταρᾶσθαι cum accus., quocum נָקַב Num. XXIII, 7. 8. Hinc in Novo T. καταρᾶσθαί τινα, ut Gen. XXVIII, 29. ed. Rom. ὁ καταρώμενός σε (alii σοι). — εὐδοκεῖν τινι apud Graecos. רָצָה cum accusativo; unde LXX quoque εὐδοκεῖν τινα, idque et in proprio

significatu εὐδοκήσεις με Gen. XXIII, 10, et translato (*satietate taedioue rei teneri*) Lev. XXVI, 34. τότε εὐδοκήσει ἡ γῆ τὰ σάββατα αὐτῆς, cf. v. 41. Alibi demum, extra libros Mosis et in Novo T. per alium Hebraismum εὐδοκεῖν ἔν τινι *). — ἐκδικεῖν τινί τι *repetere ab aliquo alicujus rei poenam*, LXX Deut. XVIII, 19. ὃς ἐὰν μὴ ἀκούσῃ — ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ, quia Hebr. אֲדָרְשׁ מֵעִמּוֹ et Num. XXX, 2. ἐκδίκει τὴν ἐκδίκησεν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐκ τῶν Μαδιανιτῶν, quia נְקֹם נִקְמַת — מֵאֵת וגו׳.

§. 8.

1. *Accusativus loci* etiam apud Graecos efficit adverbiales locutiones (e. g. τὴν εὐθεῖαν, μακράν). Quamobrem non male egerunt LXX, quum Hebraicum דֶּרֶךְ adverbialiter sequente genitivo usurpatum verterent ὁδόν. Id vero cum eo quod succedit varie construunt, namque aut elegantius connectunt: Num. XXI, 33. ἀνέβησαν ὁδὸν τὴν εἰς Βασὰν, ib. v. 4. ἀπάραντες ὁδὸν ἐπὶ θάλασσαν, Deut. I, 40. στρατοπεδεύσατε ὁδὸν τὴν ἐπὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, aut magis convenienter Hebraico idiomati, sequente genit. Ex. XIII, 17. οὐχ ὡδήγησεν αὐτοὺς ὁδὸν γῆς Φυλιστείμ Deut. I, 19. ἐπορεύθημεν ὁδὸν ὄρους τοῦ Ἀμορραίου, et ubi nullum verbum eundi: Deut. XI, 30. οὐκ ἰδοὺ ταῦτα πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὀπίσω, ὁδὸν

*) Necdum θέλειν ἔν τινι חָפֵץ בְּ in Pentat. invenitur. Erravit enim Winerus, quum Deut. XXI, 14. citaret, ubi ἐὰν θελήσῃς αὐτήν.

δυσμῶν ἡλίου, ἐν γῇ Χαναάν *). Denique acsi esset praepositio, sequente accusativo Num. XIV, 25. ἀπάρατε ὁδὸν θάλασσαν ἐρυθράν item Deut. II, 1. — Graeci ἐπὶ sive εἰς δεξιὰ dicunt, LXX aliis quidem locis et ipsi εἰς δεξιὰν, εἰς δεξιά, aliis vero, quia יָמִין וּשְׂמֹאל sine praepositione usurpantur, merum accusativum ponunt: Num. XXII, 26. ἐκκλῖναι δεξιὰν ἢ ἀριστερὰν. Deut. II, 27. Num. XX, 17. Atque eandem rationem in his sequuntur quae coeli plagas significant, Num. X, 5. αἱ παρεμβολαὶ αἱ παρεμβάλλουσαι ἀνατολάς קֵדְמָה et v. 6. — αἱ παρεμβάλλουσαι λίβα תֵּימָנָה. Alibi πρὸς Βορρᾶν κτλ. — Accusativus adverbialis apud LXX etiam τὸ τάχος, quum Graeci dicant τάχος, ὡς τάχος, ὅσον τάχος, ἐν τάχει (ut LXX Deut. XI, 17), κατὰ τάχος, διὰ τάχους.

2. Alio modo accusativus hebraizat, quando LXX per *accusativum* (*tanquam appositionis*) exprimunt nomen Hebraicum, materiam vel rationem qua quid factum significans, et sine praepositione objecto appositum cf. Ewald. §. 510. Sic Exod. XXV, 39. τάλαντον χρυσίου καθαροῦ ποιήσεις πάντα τὰ σκεύη ταῦτα et XXVI, 1. τὴν σκηνὴν ποιήσεις δέκα αὐλαίας Gen. VI, 14. ξυλίνας ποιήσεις τὴν κιβωτόν Deut. XXVII, 6. λίθους ὁλοκλήρους οἰκοδομήσεις θυσιαστήριον. Nonnumquam adverbialem dicas hunc accus. Ex. XXXVII. ἐποίησαν τὸ καταπέτασμα — ἔρ-

*) cf. quod e Jesaia citatur Matth. IV, 15. γῆ Νεφθαλείμ, ὁδὸν θαλάσσης, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, et judica, quo Fritzschius et Winerus jure istud ὁδὸν θαλάσσης a style LXX intt. alienum et e Symmacho illatum habuerint, qui puritatis et elegantiae nomine laudatur.

γον ὀφαντὸν χερουβίμ. Similia v. Luc. IX, 14. Marc. VI, 39.

3. Affinia haec sunt *accusative duplici*, quo Graeci et Latini magis solent uti quam Hebraei; Graeci κλαίοντα καταστῆσαί τινα, πλούσιον ποιῆσαί τινα, Hebraei alterum objectum quod quasi est praedicatum prioris per ל adnectere consueverunt. LXX modo servant sinceram Graecitatem, Exod. XXXII, 4. Ἀαρὼν ἐποίησεν αὐτὰ (τὰ χρυσᾶ ἐγώτια) μόσχον χωνευτὸν (ubi ne in Hebr. quidam ל) ib. 25. διεσκέδασε γὰρ αὐτοὺς Ἀαρὼν, ἐπίχαρμα τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν לְשִׁמָּצָה modo, quod est frequentius, εἰς pro ל interponunt e. g. Gen. XII, 2. ποιήσω σε εἰς ἔθνος μέγα ib. XLIV, 18. τοῦ λαβεῖν ἡμᾶς εἰς παῖδας, de quo Hebraismo Winerus §. 32, 4, b. — ποιεῖν τινά τι, εὖ ποιεῖν τινα et κακοποιεῖν τινα leguntur quidem apud LXX, sed raro, plerumque ποιεῖν τινί τι ut Hebraice dicitur, velut Exod. I, 20. εὖ δὲ ἐποίει ὁ Θεὸς ταῖς μαίαις. Uterque construendi modus etiam in N. T. — Solemnis est Hebraeorum formula עָשָׂה חֶסֶד עִם et quod ei oppositum עָשָׂה רָעָה עִם Gen. XXVI, 29. Quod LXX pro isto עִם μετά τινος quandoque posuerunt e. g. Gen. XXIV, 12. ποιήσεις ἔλεος μετὰ τοῦ κυρίου μου, cf. Luc. I, 72. id quidem prorsus ἀνελλήνιστον videtur, nec magis Graecum quod alibi pro eodem ἐν adhibent, ποιήσεις ἐν ἐμοὶ ἔλεος sive ἐλεημοσύνην Gen. XL, 14. XVII, 29. Sed tolerabilius quod Gen. XX, 13. ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις ἐπ' ἐμέ.

4. Alia *verba*, non cum accusativo constructa, ut Graecorum consuetudo ferebat, sed *cum prae-*

positionibus ad Hebraicum usum, haec fere sunt. ἐπικαλεῖσθαι passim quidem c. acc. τὸ ὄνομα Κυρίου, sed quia Hebr. dicitur קָרָא בְּשֵׁם excidit interpretibus ἐπεκαλέσατο ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Gen. XII, 8. et secundum Aldinam ed. XXI, 33. Dativum sine praepos. habet sola Complutensis τῷ ὀνόματι Gen. XIII, 4. In aliis demum libris dictum ἐπικαλέσασθαι ἐν ὀνόματι, ut litera literae respondeat e. g. III. Reg. XVIII, 24 — 26. — Verbum καλεῖν τινά τι *nomen imponere alicui*, vel *aliquem appellare* seu *dicere aliquid*, LXX constanter cum duplici accusativo construunt. Nec vero jure a Winero Aquila praeter omnes plectitur, qui Gen. I, 5. verterit καὶ ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τῷ φωτὶ ἡμέρα, nam ibid. Symmachus et Theodotio: ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τῷ φωτὶ ἡμέραν et ipsi Hebraicae constructionis vestigia prementes. Atque adeo est formula dicendi, in qua et ipsi LXX ab eo Hebraismo non abhorrent, Gen. II, 20. ἐκάλεσεν Ἀδὰμ ὀνόματα πᾶσι τοῖς κτήνεσι (cf. Jesai. XLV, 15. τοῖς δὲ δουλεύουσι μοι κληθήσεται ὄνομα καινόν et Ps. CXLVI, 5. πᾶσιν αὐτοῖς ὀνόματα καλῶν). Sane id minus a Graeca consuetudine alienum, quandoquidem ita intelligi potest ut ὄνομα θεῖναι seu θέσθαι τινί. Eodem sensu Gen. XXVI, 18. ἐπωνόμασεν αὐτοῖς ὀνόματα. Si quis nomine ab altero in ipsum translato appellatur, Graeci dicunt καλεῖν τινα κατά τι, ἀπό τινος, et ἐπί τινος, LXX autem Gen. XLVIII, 6. ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῶν ἀδέλφῶν αὐτῶν κληθήσονται. Diversa rursus res Exod. XXXI, 2. ἀνακέκλημαι ἐξ ὀνόματος τὸν Βεσελεήλ ubi item Hebraice קָרָאתִי בְשֵׁם.—

In construendo verbo παίειν levis Hebraismus animadvertitur, quia הִכָּה cum בְּ construitur, παίω ἐν γῇ Αἰγύπτου Exod. XII, 13, levem dico, quia idem dicere volebant quod esset ἐμπαίω τινί. Perinde explicanda esset lectio Alex. et Ald. Num. XI, 33. καὶ ἐπάταξε Κύριος ἐν τῷ λαῷ πληγὴν μεγάλην σφόδρα, sed praestat quod Vatic. habet τὸν λαόν. — ἐνωτίζεσθαι verbum recens factum, ut הֶאְזִין ab אֹזֶן οὖς derivatum imitarentur, quia est transitivum in ίζω, regere debet accusativum e. g. Gen. IV, 22. ἐνωτίσασθέ μου τοὺς λόγους. At alibi ubi Hebraicum verbum cum לְ, et ipsum cum dativo construitur ἐὰν ἐνωτίσῃ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ Exod. XV, 26. (Ox. Compl. Ald. τὰς ἐντολάς). — ἐξιλάσκεσθαι Θεὸν Graeci dicunt, LXX prorsus ut Hebr. כִּפֶּר construunt, ἐξιλασθήσεται αὐτοῖς τὸ αἷμα Deut. XX, 8. — ὀμνύναι, *jurare per aliquem*, veteres Graeci c. acc. v. c. Ἐννοσίγαιον. Et sic LXX semel Gen. XXI, 23. νῦν οὖν ὄμοσόν μοι τὸν Θεόν. Alias si accusativus apponitur, est rei quam quis se daturum vel servaturum jurat (sicut et Graecis licet loqui) τὴν γῆν, διαθήκην, vel ὅρκον. Per quem juratur, dicitur aut κατά τινος ex usu Graecorum seriori, aut quia בְּשֵׁם Hebraice, τῷ ὀνόματι (Lev. XIX, 12) et ἐπὶ τῷ ὀνόματι.

§. 9.

Sequitur, ut de *Verbis* disseramus. Hoc loco primum dicturi sumus, qua ratione Interpretes *Hebraicas conjugationes*, quas dicunt, expresserint.

Praeclara est virtus linguae Hebraicae (sicut Arabicae) quod certis sub legibus e cujusque verbi radice per flexionem deducere pollet conjugationes (sive, ut Ewaldo nuncupantur, stirpes), quibus ita temperatur verbi notio, ut verba passiva, ut neutra, ut reflexiva, ut intensiva, ut transitiva et causativa eorumque passiva evadant. Et quum nostratium linguae, praesertim Graeca Semiticas facultate componendi verba cum praepositionibus atque ita varie inflectendi eorum significationes praecellant: illis, inter quas Hebraica, is defectus egregie ipsarum conjugationibus compensatur. Est quidem et Graecae linguae similis potestas derivandi per novas terminationes et a substantivis et a simplicibus verbis verba alia nova cum varietate significationis, sed minus ampla minusque constans est ea facultas, quam quae Hebraici verbi copiam aequiparet.

Itaque quum Interpretibus nostris verborum in textu originali propositorum multiplices et diversi sensus conjugationes Graece essent exprimendae, haec fere praesto iis erant, quae adhiberent:

1. Diversa inter sese verba pro diversis ejusdem verbi Hebraici conjugationibus: e. g. יָצָא ἐξέρχεσθαι, הוֹצִיא ἐκφέρειν, ἐξάγειν. Multas igitur conjugationes causativas ita transtulerunt, ut etymon et origo vocis Hebraicae e versione animadverti non posset, dum ejusmodi verbá adhibebant, quae vim conjugationis Hiphil quidem exprimerent, sed ad Kal accommodari non possent: pro חָיָה et

הֶחֱיָה περιποιεῖσθαι, τρέφειν, διατρέφειν, ἐκτρέφειν, σώζειν — pro כִּבֵּד τιμᾷν, pro קִלֵּל καταρᾶσθαι.

2. Verba singula composita, aut bina vocabula per periphrasin conjugationes causativas exprimentia. Ita praecipue ubi vox Hebraica erat denominativa: הֶאֱזִין ἐνωτίζεσθαι, Lev. XIV, 52. וְחִטֵּא καὶ ἀφαγνιεῖ τὴν οἰκίαν, Deut. XIX, 3. τριμεριεῖς τὰ ὅρια τῆς γῆς σου וְשִׁלַּשְׁתָּ וגו׳, ibid. XXV, 18. וַיְזַנֵּב בְּךָ ἔκοψέ σου τὴν οὐραγίαν, *circumvenit extremum agmen tuum.*

Sed etiam ubi conjugatio a verbo derivata causativa, periphrasi nonnunquam utuntur: אֲחַיֶּה ζῆν ποιήσω Deut. XXXII, 39, הֶחֱטִיא ἁμαρτάνειν ποιῶ, הִרְבָּה πλεοναστόν σε ποιήσει ὑπὲρ τοὺς πατέρας σου Deut. XXX, 5. הִשְׁמִיעַ τίς ἀκουστὴν ἡμῖν ποιήσει αὐτήν; ib. v. 13.

3. Verborum Graecorum propria genera tria, activum, medium, passivum: אָבַד ὤλετο אִבֵּד ὤλεσεν, לָוָה δανείζεσθαι הִלְוָה δανείζειν, רָאָה εἶδε נִרְאָה *apparuit* ὤφθη, שָׂמֵחַ εὐφραίνεσθαι שִׂמֵּחַ εὐφραίνειν τινά, הִתְקַדֵּשׁ ἁγιάζεσθαι, הִתְכַּסָּה περιβάλλεσθαι.

4. Verborum quorundam transitiva simul et intransitiva potestas; atque ea quae transitivae significationis capacia sunt, causative nonnunquam usurpare audent, ut et vim Hiphil assequantur et etymon unâ indicarent. Optime quidem לָבַשׁ et הִלְבִּישׁ vertunt ἐνδύειν, פָּשַׁט et הִפְשִׁיט ἐκδύειν, sed audacius fere dicta haec sunt: καὶ ἀνέτειλεν ὁ Θεὸς πᾶν ξύλον וַיַּצְמַח Gen. II, 9. (cf. Matth. V, 45)

ἔχανεν ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς פָּצְתָה ib. IV, 11, Κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ Σόδομα — Θεῖον καὶ πῦρ ib. XIX, 24, et ἔβρεξε χάλαζαν Exod. IX, 24. pro הִמְטִיר. Graecis βρέχειν de irrigando poeticum. ἐπιφάναι Κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπί σε יָאֵר פָּנָיו Num. VI, 25. παραζηλώσω αὐτοὺς ἐπ' οὐκ ἔθνει אַקְנִיאֵם בְּלֹא עָם Deut. XXXII, 25. Denique ἀπαίρειν et ἐξαίρειν pro נָסַע *proficisci* et הִסִּיעַ *praecipere vel facere ut aliquis proficiscatur*. Sed his omnibus duriora: κατακληρονομεῖν τινι τὴν γῆν הִנְחִיל in Deut. atque adeo κληρονομήσουσιν ὑμῖν τὴν γῆν Num. XXXIV, 17. pro quo v. 29. melius καταμερίσαι. Cf. Act. XIII, 19.

Aliorum librorum praeter Pentateuchum Interpretes contra quam licet Graecis etiam βασιλεύω τινὰ et βασιλεύω βασιλέα et εἰς βασιλέα pro הִמְלִיךְ מֶלֶךְ *regem constituo*, et ζῶ (ζῆσόν με, ac ζωόω) pro חִיָּה et הֶחֱיָה *vivifico* dicere audent, quae alibi ζωοποιέω, ζωπυρέω, in Pentateucho optime περιβιόω (ut apud Plutarchum) et ζωγρέω (*alicujus vitae parcere*) et (quod deterius) ζωογονέω (eodem sensu).

5. Denique suppeditabatur formatio transitivorum et causativorum in όω, ίζω, άζω et ύνω. Atque ea quidem, quae in όω et ίζω cadunt, plerisque Hebraicis in Hiphil optime conveniebant, unde tantus ejusmodi verborum numerus in Novum Testamentum manavit, de quo Winerus §. 16, 1., quamquam serioris aevi Graecitas eorum frequentia per se est insignis v. id. pag. 25. Atque his LXX non male utuntur, ita ut et significationem et etymon verbi Hebraici exprimant: הָמִית θανατόω, הֵרֵעַ

κακόω, שִׁכֵּל ἀτεκνόω, גִּדֵּל et הִגְדִּיל ὑψόω, הִקְדִּישׁ ἐκκλησιάζειν (τὸν λαόν) quum קָהָל sit ἐκκλησία, הִמְעִיט ὀλασσόω, הִשְׂכִּים ὀρθρίζω, הִשְׁקָה ποτίζω, הִזְרִיעַ σπερματίζω Gen. 1, הֵקֵל κουφίζω. Et his quidem ea fere significatio est apud Graecos; alia vero partim nove formata videntur, ut πολυχρονίζω ἡμέρας הַאֲרִיךְ יָמִים Deut. IV, 26, הִפְלָא παραδοξάσει κύριος τὰς πληγάς σου ib. XXVIII, 59, partim novam potestatem, quae Hebraici verbi significationi congruat, adipiscuntur: ὁ ἱερεὺς μιανεῖ αὐτὸν (eum, qui notam leprae habet, *impurum declarabit*) טִמֵּא Lev. XIII,3. et oppositum v. 17. καθαριεῖ טִהֵר. Etiam נִקָּה *insontem pronuntiare et habere* in Pentateucho καθαρίζειν, (aliis in libris nova dictione ἀθωοῦν). Denique δικαιόω *justum pronuntiare, absolvere*, sicut הִצְדִּיק Exod. XXIII, 7, Deut. XXV, 1. ubi opponitur הִרְשִׁיעַ καταγνῶναι τοῦ ἀσεβοῦς.

§. 10.

1. Hebraicorum temporum et modorum, *praeteriti* inquam et *futuri* vim usu satis intelligebant interpretes, theoriam aliquam subtiliorem cognitam habuisse negaverim, de qua nec nobis hoc loco agendum. Et Grammaticis etsi de explicandis originibus et causis varii temporum Hebraicorum usus non convenit, constat tamen de usu ipso et de locorum omnium sensu. In quo et nos acquiescimus, atque id tantum hoc loco dicturi sumus, qui Hebraismi in usum temporum Graecorum fluxisse

videantur, quum LXX Pentateuchum Graece verterent.

Hoc Hebraismorum genus rarum invenimus. Namque etiam temporibus verbi et modis tantum non semper recte et secundum Graecae linguae leges adhibitis, perfectam Graecismi scientiam Pentateuchi interpretes ostendunt.

Tempora *praeterita*, imperfectum, perfectum, aoristum a nostris recte distingui et suo quodque loco poni supra diximus. Sed ne tunc quidem ea in re errantes deprehendis, quum Hebraicus textus tempus diversum, futurum pro praeterito exhibere videatur, quod usu linguae percepto, et sensu totius loci considerato nunquam non et recte et dilucide lectori Graeco verterunt.

2. *Futurum* apud Hebraeos, praesertim ubi oratio poetica, saepe significat rem positam quidem in tempore aliquo praeterlapso sed tunc fientem, sive exorientem (*das Werdende in der Sphäre der Vergangenheit*, Ewald. §. 264). Et in cantico Mosis Exod. XV. saepius sententiae a praeterito inchoatae per futurum continuantur, ut quasi descriptive narretur, quae factum illud, a quo oritur sententia, consequuta sint, e. g. v. 14. שָׁמְעוּ עַמִּים יִרְגָּזוּן. Quae fortassis non male in praesens Graecorum historicum transferantur. Verum LXX in illo cantico, omnia simpliciter enarrantes, aoristos posuere ἤκουσαν ἔθνη καὶ ὠργίσθησαν. Nisi quod v. 16., ubi eadem ratio, in optativum et imperativum abierunt. Aoristum autem posuerunt etiam v. 6. 7, ubi per futura praedicari videtur Do-

mini potentia et agendi consuetudo, non narrari res semel gesta.

Item aliis locis sensum potius quam literam spectabant, dum aoristis utebantur Exod. XV, 1. τότε ἦσε Μωσῆς אָז יָשִׁיר, Num. XXIII, 7. Bileamum ita exordientem faciunt: ἐκ Μεσοποταμίας μετεπέμψατό με Βαλάκ יַנְחֵנִי. Sed in eodem oraculo v. 9. futura futuris reddunt: ἀπὸ κορυφῆς ὀρέων ὄψομαι αὐτὸν, καὶ ἀπὸ βουνῶν προςνοήσω αὐτόν. In sublimibus Mosaici cantici alterius versibus Deut. XXX, 10—18. ubi quid Dominus populo, quidque populus Domino fecerit magnificis verbis exponitur, LXX sensum sequuti temporibus praeteritis constanter utuntur, seu futura cum Vav conversivo, seu sola futura in textu posita sunt.

Eum quoque usum futuri Hebraizi, quo actiones vel conditiones diutius durantes vel saepe repetitas indicat, probe intellexerunt et ubi res in praeterlapso tempore versatur imperfectum posuere: Gen. II, 6. πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς אֵד יַעֲלֶה. Exod. XIII, 22. verior videtur Alex. lectio, οὐκ ἐξέλειπεν ὁ στύλος τῆς ἡμέρας κτλ. quam Vat. οὐκ ἐξέλιπεν, Hebr. לֹא יָמִישׁ. Cf. Deut. XXXII, 38. *).

Recte etiam Gen. XLIII, 7. הֲנֹדַע μὴ ἤδειμεν, ὅτι ἐρεῖ ἡμῖν, ἀγάγετε τὸν ἀδελφὸν ὑμῶν.

3. Congruit Graeci sermonis idioma et Hebraici, utendi verborum quorundam praeteritis sensu

*) Semel in ejusmodi sententia futurum posuere, quod vehementer me offendit, vix enim illa de praesenti tempore et de futuro intelligi poterit Gen. XXXI, 8.

praesentium, imprimis de animi actione vel affectione, quae coepit tempore praeterito, durat praesenti e. g. ἔγνωκα יָדַעְתִּי, ἠγάπηκα אָהַבְתִּי, πεπίστευκα הֶאֱמַנְתִּי. In aliis etsi Graecis usus aequalis nondum erat receptus, poterant tamen, aliorum verborum analogia nisi, Hebraicum praeteritum praeterito exprimere, quod genus illud εὐδόκησα Matth. III, 7. de quo Viger. ed. Herm. p. 209. Atque in his Hebraismum imperfectum eumque elegantem deprehenderis.

Haec vero praeterita, quae Ewaldus §. 262, 3. in effatis Dei inque dictis ementium et contrahentium solennia esse observat, pro lubitu varie reddunt נָתַתִּי Gen. XV, 18. τῷ σπέρματί σου δώσω τὴν γῆν ταύτην XXIII, 11. τὸν ἀργὸν καὶ τὸ σπήλαιον σοὶ δίδωμι, ἐναντίον πάντων τῶν πολιτῶν μου δέδωκά σοι.

§. 11.

1. Praeterita igitur tempora apud τοὺς ὁ raro hebraizant, *futura* saepe. Is quidem non dicatur Hebraismus, sicubi prima persona non aoristi in conjunctivo sed futuri in indicativo vel cohortando adhibetur vel deliberando per interrogationem, nam Graecis quoque ita loqui licet, Matthiae §. 516. Winer. §. 41, 6. et 42, 4.

Animadvertes autem apud τοὺς ὁ et apud Sacros Novi T. auctores amplum futurorum usum de eo quod fieri debet vel non debet nec licet, de eo quod fieri licet et potest, de eo quod fieri non potest, denique de eo quod fieri solet. Quae omnia

Graeci raro efferunt futuris, plerumque in loco eorum alia, quorum satis magna ipsis copia, usurpant, seu tempora praesentia, seu verba auxiliaria, sive optativos et imperativos. Quare quae eo modo apud τοὺς ὁ dicta viderim, in iis Hebraicum textus originalis usum imitatos, atque adeo imperfectorum genus quoddam Hebraismorum induxisse existimaverim. Iique Hebraismi ita videntur esse comparati, ut in sacro et archaico stylo usus inde peculiaris et idioma brachylogicum exsisteret, ejusmodi pleraque per futura et cogitandi et eloquendi.

Sed exemplorum, quae hoc loco proferre poterimus, paene omnium ea est indoles, ut futurum nostrae cogitandi rationi certe non repugnet, ut insolentior quidem modus loquendi evadat, absurdus non evadat.

a) Ordiamur igitur ab eo quod a Graecorum consuetudine omnium minime abest. Futurum etiam apud Graecos *jubentis* est, et cum οὐ (vel οὐ μὴ) junctum *vetantis* v. Matthiae §. 498. b et c, p. 942. Kühner. §. 446, 3. et 460, 1, et qui e Latinis exempla affert Hoogeveen. ad Viger. pag. 199. ed. Hermann. Itaque loco imperativi stat, quamquam non prorsus perinde est, futuro utaris an imperativo. Futuro enim non tam postulamus ab aliquo ut aliquid faciat, quam quid facturus sit effamur, ita quidem ut aut urbane statuamus eum facturum id nec recusaturum, aut quid facturus sit praescribamus et quasi praeeamus, auctoritate nostra et voluntate confidenter pronuntiata nixi neque ullam, num obedire ei libeat, dubitationem relinquentes. Ad alterum genus referenda sunt futura et secun-

dae personae et tertiae, quae in Pentateuchi praeceptis et legibus (velut in ipso Decalogo) frequentissima invenies. Neque iis magis idoneum ullum tempus erat, ubi leges prolixae feruntur, quibus quid in futuro tempore faciendum quid omittendam sit Israelitis pluribus verbis praecipitur. Atque ita simul Hebraicum sermonem expresserunt, qui illis locis futura habet, quique in tertia persona imperativi forma prorsus caret *).

b) Exempla *tertiae* personae futuri, non in loco imperativi positae, sed cum brachylogia emphatica de eo quod *non convenit*, *non oportet*, pro infinitivo cum οὐ δεῖ vel οὐκ ἔξεστι (cujusmodi Hebraeis nullum verbum est), haec fere sint Gen. XXXIV. de Sychemi facinore v. 7. ἄσχημον ἐποίησεν ἐν Ἰσραὴλ — καὶ οὐχ οὕτως ἔσται וְכֵן לֹא יֵעָשֶׂה, v. 31: ἀλλ' ὡσεὶ πόρνῃ χρήσονται יַעֲשֶׂה τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν; ἔργον ὃ οὐδεὶς ποιήσει πεποίηκάς με Gen. XX, 9. et formula ἃ οὐ πριηθήσεται אֲשֶׁר לֹא יֵעָשֶׂה quae Lev. IV, 13. 22. 28. recurrit, sed v. 1. pro eadem: ἃ οὐ δεῖ ποιεῖν.

c) Sic igitur poterat exprimi quod *non licet*, cui proximum est, si quid *licere* dicitur. Itaque futura etiam in *concedendo* adhiberi poterant. Sic Moses Rubenitis et Gaditis, id quod postulaverant

*) Quamquam nimis anxie in exprimendis his futuris non versantur. Nam modo imperativos tertiae personae substituunt, modo ubi vota sunt, sive quae fausta imprecentur sive quae infausta, optativos cf. Exod. V, 7. XV, 16, atque ubi optativi et futura mire variant, benedictio et maledictio Israeli proposita Deut. XXVIII.

permittens, οἰκοδομήσετε inquit ὑμῖν ἑαυτοῖς πόλεις — καὶ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν ποιήσετε Num. XXXII, 24.

d) His, quae facere per voluntatem alterius licet, affinia sunt ea, quae per se quis facere *valet*, et quae per se fieri *possunt*. Quibus item futurum tempus accommodare possumus. Nam si quid fieri posse indicaturi sumus, ea dicendi ratione uti licebit, ut id eventurum esse praedicamus. Quandoquidem enim non dicimus, quando eventurum sit vel quoties, sed nec dubitamus quin revera aliquando accidat, idem fere est simplici futuro uti ac si *posse* verbum auxiliare, nobis tritum Hebraeis emphaticum, adderemus. In lege de vasis lustrandis de generibus vasorum diversis diversi lustrationum modi praecipiuntur in haec verba: πᾶν πρᾶγμα, intellige omne vas metalleum vel lapideum, ὁ διελεύσεται ἐν πυρί, quod per ignem transire *potest*, quin laedatur, πυρὶ *) καὶ καθαρισθήσεται, καὶ πάντα ὅσα ἐὰν μὴ διαπορεύηται διὰ πυρός, διελεύσεται δι' ὕδατος Num. XXXI, 23. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ εἴδομεν ὅτι λαλήσει ὁ Θεὸς πρὸς ἄνθρωπον καὶ ζήσεται Deut. V, 24. ubi non id agitur, num quando Deus ad hominem locuturus sit, sed num fieri *possit*, ut Deus homini loquatur, quin homo moriatur. Ejusdem generis et illud, quod Matth. IV, 4. citatur: οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος ἀλλ' ἐπὶ

*) Alterum hoc πυρὶ, quod deerat in edd., e conjectura substitui. Ed. Compl. ut Hebraeis omnia accurate respondeant interjicit διάξεται ἐν πυρί, pro quo scribendum erat aut διάξετε aut διαχθήσεται.

παντὶ ῥήματι τῷ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος Deut. VIII, 3. Deinde si quis affirmat, se aliquid valere, ea in futuro latet emphasis, ut simul revera se id facturum comminari videatur: Ἐγὼ ἀποκτείνω (praesens, quamvis אֲמִית, sane Alex. ἀποκτενῶ) καὶ ζῆν ποιήσω, πατάξω κἀγὼ ἰάσομαι, καὶ οὐκ ἔστιν ὃς ἐξελεῖται ἐκ τῶν χειρῶν μου (extrema Hebr. in participio: וְאֵין מַיְדִי מַצִּיל) Deut. XXXII, 39.

e) Magis vero usitatum nobis videatur id dicendi genus, ut quae omnino *non fiunt* et ne fieri quidem *possunt*, dicantur non futura, non eventura, velut in eo quod modo citavimus: οὐκ ἔστιν ὃς ἐξελεῖται. Alia eundem in modum dicta: ὡς τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης, ἣ οὐκ ἀριθμηθήσεται ὑπὸ τοῦ πλήθους Gen. XXXII, 11. XVI, 10. Κύριος — ἀφαιρῶν ἀνομίας καὶ ἀδικίας καὶ ἁμαρτίας, καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον, ἐπάγων ἀνομίας πατέρων ἐπὶ τέκνα κτλ. Ex. XXXIV, 7. (futurum medium inter participia praesentis, ut Hebraica habent, nescio num melius vertatur: non facit, an: non solet facere, an: non potest). In interrogatione eadem ratio Deut. XXXII, 30. πῶς διώξεται εἷς χιλίους καὶ δύο μετακινήσουσι μυριάδας, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἀπέδοτο αὐτούς; ibi Graecus scriptor, ni fallor, πῶς cum optativo et ἄν posuisset. Nec mirum quod item pro לֹא אוּכַל futurum οὐ δυνήσομαι usurpant Gen. XXXIV, 14. Exod. XIX, 23. Deut. XXXI, 2.

f) Extremum genus futurorum ad futura Hebraica accommodatorum hoc est, si quid fieri *solere* dicendum erat. Poetis quidem Graecis ita loqui

non negatum, cf. quae ex Homero et Sophocle proferuntur apud Kühnerum §. 446, 2. Pedestris orationis scriptores vehementer dubito an unquam ita locuti sint ut LXX, in manifestam eamque superfluam *Hebraismi* imitationem delabentes: Ῥαφαὶν λογισθήσονται (*gigantes reputantur*, observatio est ethnographica, non praedictio) καὶ οὗτοι ὥςπερ καὶ οἱ Ἐνακὶμ, καὶ οἱ Μωαβῖται ἐπονομάζουσιν αὐτοὺς Ὁμμίν Deut. II, 11. vides futurum et praesens idem valentia, utrobique Hebr. futurum idque, ut constat, minime sensu futuri nostri. Deut. XVIII, 14. τὰ γὰρ ἔθνη ταῦτα, οὓς σὺ κατακληρονομεῖς αὐτοὺς, οὗτοι κληδόνων καὶ μαντείων ἀκούσονται יִשְׁמָעוּ καὶ σοὶ οὐχ οὕτως ἔδωκε Κύριος ὁ Θεός σου. Num. XXI, 27. διὰ τοῦτο ἐροῦσιν οἱ αἰνιγματισταὶ יֹאמְרוּ הַמֹּשְׁלִים, ubi sequitur carmen de Hesbon urbe.

Hebraizare τοὺς ὁ in his futuris, Hebraicis inquam futuris, quae proposita habebant, induci, ut futura et ipsi ponant, alius insuper locus videtur prodere Exod. XIII, 15. ἐγὼ θύω אֲנִי זֹבֵחַ πᾶν διανοῖγον μήτραν — καὶ πᾶν πρωτότοκον τῶν υἱῶν μου λυτρώσομαι אֶפְדֶּה; cur tandem θύω in praesenti, λυτρώσομαι in futuro, nisi quia Hebraice illic participium hic futurum? — Cf. Lev. XI, 37. πᾶν σπέρμα σπόριμον ὃ σπαρήσεται, ib. XXII, 5. ὅστις ἂν ἅψηται παντὸς ἑρπετοῦ ἀκαθάρτου, ὃ μιανεῖ αὐτόν — ἀκάθαρτος ἔσται. Ubi ὃ cum ind. fut. idem valet quod ὁ ἐὰν cum conj. aor., cf. supra pag. 159.

Apponam denique eum Hebraismum qui est Exod. XXXVII, 16. (Hebr.) ἐποίησε τὰ σκεύη τῆς

τραπέζης — καὶ τὰ σπονδεῖα, ἐν οἷς σπείσει ἐν αὐτοῖς אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֶן (h. e. *quibus libationes fiant*).

2. Tempora Hebraica cum *Vav consecutivo* copulata, nostri non minus scite atque vertunt quam simplicia. — Nec vero praetereundum est, qua ratione ea praeterita vertere soleant, quae per Vav consecutivum vim *imperativi* praecedentis adepta, praeceptum ab imperativo inchoatum continuant. LXX et ipsi ab imperativo inchoant, at in pergendo plerumque non imperativos sed *futuro* inferunt. Frequentissimum: λάλησον τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ καὶ ἐρεῖς αὐτοῖς דַּבֵּר אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְאָמַרְתָּ אֲלֵהֶם cf. quae eodem pertinent τὴν ῥάβδον — λαβὲ — καὶ πορεύσῃ Exod. XVII, 5. λαβὲ Ἰησοῦν — καὶ ἐπιθήσεις τὰς χεῖράς σου Num. XVII, 18. φύλαξον τὸν μῆνα τῶν νέων καὶ ποιήσεις τὸ πάσχα Deut. XVI, 1.

3. *Participium* Hebraicum ubi significat actionem vel conditionem praesentem, praesenti reddunt; ubi conditionem in spatio temporis *praeteriti*, dum aliae actiones interjiciebantur, *durantem* exprimit, (cf. Ewald. §. 350. 607. 609.) nostri varie agunt. Nam alibi, ut fas erat, *imperfectum* ponunt e. g. Deut. XXV, 18. Ἀμαλὴκ ἔκοψέ σου τὴν οὐραγίαν, σὺ δὲ ἐπείνας καὶ ἐκοπίας, nec minus apte *plusquamperfectum* Gen. XVIII, 8. ἔλαβε δὲ βούτυρον καὶ παρέθηκεν αὐτοῖς καὶ ἔφαγον, αὐτὸς δὲ παρειστήκει αὐτοῖς ὑπὸ τὸ δένδρον וְהוּא עֹמֵד עֲלֵיהֶם. Alibi vero Hebraismum admittunt, participium *participio* reddentes: Deut. XIX, 4. καὶ οὗτος (*qui interfecit*) οὐ μισῶν αὐτὸν לוֹ וְהוּא לֹא שֹׂנֵא πρὸ τῆς χθὲς καὶ τρίτης, quod quidem minime aegre

feras, quia duo verba μισῶν αὐτὸν tanquam substantivum efficiunt.

Periphrasin per participium cum verbo εἶναι in ***imperfecto***, (quae ib. v. 6. ὅτι οὐ μισῶν ἦν αὐτὸν לֹא שֹׂנֵא הוּא) σχῆμα Χαλκιδικὸν vix usquam invenies apud nostros, praeterquam ubi etiam in Hebraico non sine vi sua adhibita erat. Gen. IV, 17. καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν. Exod. III, 1. ἦν ποιμαίνων, et Deut. IX, 22. ***per totum iter*** παροξύναντες (Alex. —οντες) ἦτε Κύριον. Nec vero male, ubi Hebr. mérum participium: Gen. XVIII, 22. Ἀβραὰμ δὲ ἔτι ἦν ἑστηκὼς ἐναντίον Κυρίου עֹדֶנּוּ עֹמֵד׃ Optime Exod. XXXIX, extr. καὶ εἶδε Μωϋσῆς πάντα τὰ ἔργα, καὶ ἦσαν πεποιηκότες עֹתָהּ αὐτὰ ὃν τρόπον συνέταξε Κύριος. — Frequentiorem periphrasin illam habent cum εἶναι in tempore ***futuro***, ubi sane etiam in Hebraico, e. g. in maledictione populo denuntiata: καὶ ἔσῃ ψηλαφῶν μεσημβρίας ejusque similia Deut. XVIII, 29 sqq. ἡμαρτηκὼς ἔσομαι eleganter Gen. XLIII, 9. ubi Hebr. nihil nisi וְחָטָאתִי׃ Conferatur e papyro Taurinensi III. ἔσομαι βεβοηθημένος, v. etiam Winerus §. 46, 8. *).

§. 12.

1. Deinceps de ***Infinitivo*** dicendum. Infinitivum ***absolutum*** verbo suo finito appositum (de quo

*) Periphrasin cum partic. perf. habent Exod. XXI, 36. ἐὰν διαμεμαρτυρημένοι ὦσι, pro quo ib. v. 29. ἐὰν διαμαρτύρωνται.

Ewald. §. 450. 541.) Graece exprimendi complures sunt rationes, ab Interpretibus nostris sollerter inventae. Quarum duae praecipuae etiam in Novum T. transierunt, et a Winero tractantur, altera uti *βλέποντες βλέψετε* §. 46, 7, altera uti *ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα* §. 58, 3, quae certe est *ἑλληνικωτέρα* priori atque etiam extra citatas e LXXvirali versione sententias in Novo T. legitur.

A. Frequentissimum est id genus, quod primum considerabimus, ut ***participium praesentis*** ponatur ante ***futurum*** ejusdem verbi: *γινώσκων γνώσῃ* Gen. XV, 13. *βασιλεύων βασιλεύσεις — ἢ κυριεύων κυριεύσεις* ib. XXVII, 8. *λαλῶν λαλήσει* Exod. IV, 14. *διδοὺς δώσεις* Deut. XV, 10. et cett. Raro inveni participium non praesentis sed ***aoristi*** cum ***futuro*** junctum, *ἀναβάντες ἀναβησόμεθα* Num. XIII, 31. *ἐλθόντες ἐλευσόμεθα* Gen. XXXVII, 10. saepius id participium sequente ***conjunctivo aoristi:*** *ἐὰν περιελὼν περιέλῃ* Num. XXX, 13. *ἐὰν δὲ γενομένη γένηται ἀνδρί* ib. v. 7. cf. Num. V, 6. 12.

Si tempus verbi finiti est ***praeteritum, aoristi participium*** praeponi solet: *ἰδὼν εἶδον* Exod. III, 7, *ἰδόντες ἑωράκαμεν* Gen. XXIV, 28. verum etiam ***praesentis participium:*** *συγκλείων συνέκλεισε* Gen. XX, 18. *ἐπερωτῶν ἐπηρώτησεν*, ib. XLIII, 7.

Negatio in medio posita est Num. XXIII, 25. *οὔτε καταράαις καταράσῃ μοι αὐτὸν, οὔτε εὐλογῶν μὴ εὐλογήσῃς αὐτόν.* — Participium verbo finito postpositum non inveni.

Verbis compositis plerumque ***participia*** quoque ***composita*** jungi vides: *ἐὰν ἀνανεύων ἀνανεύῃ* Num. XXX, 6. 9, *καθιστῶν καταστήσεις* Deut. XVII, 5,

ἀνιστῶν ἀναστήσεις ib. XXII, 4; et in his quidem (cujusmodi plurima reperiuntur) verbum simplex haberet significationem a sententia loci alienam; verum etiam ubi simplex accommodari poterat, participium compositum compositò verbo anteponunt ἐκζητῶν ἐκζητήσει Deut. XXIII, 21.

Simplex non sine elegantia adhibitum inveni: εἰ ὁ πατὴρ αὐτῆς πτύων ἐνέπτυσεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῆς Num. XII, 14. cf. Lev. X, 16. ζητῶν ἐξεζήτησεν. ib. XIII, 12. ἀνθοῦσα ἐξανθήσῃ atque adeo diversum: ἐὰν δὲ μεταβαλοῦσα μεταπέσῃ Lev. XIII, 7. Ἀβραὰμ δὲ γενόμενος ἔσται εἰς ἔθνος μέγα καὶ πολύ Gen. XVIII, 18. (Habac. II, 3. ἐρχόμενος ἥξει. Sed Hebr. X, 37. ὁ ἐρχόμενος subjectum est, ἥξει praedicatum). Mirum ἀκάθαρτος ὢν ἀκάθαρτος ἔσται טָמֵא יִטְמָא Lev. XIII, 46.

Hoc igitur τοῖς ὁ usitatissimum sitne etiam Graecorum idioma videamus. Recentiores quidem Grammatici exemplorum olim ab illis allatorum, qui Atticam puritatem Novo T. vindicare susceperant (e. g. a Schwartzio ad Olearium *de stylo Novi T.* pag. 260), maximam partem ab hoc dicendi genere prorsus alienam esse observarunt. Neque injuria ea quae a Grammaticis hodiernis e Graecorum libris proferuntur (Matthiae §. 553, Kühner. §. 676, 3.) his, quae τῶν ὁ sunt, similia fortasse cuipiam visa, disparia tamen omnia judicaverim. Nec facere possum, quin demirer Winerum, qui paucos quidem sed tamen nonnullos locos Classicorum auctorum atque adeo eorum, qui oratione pedestri scripserunt, conferri posse existimet (p. 293).

Diversam vel horum, quos ipse citat, rationem esse censeo. Id quod ipsa Grammaticorum verba inter sese collata prodant. *Matthiae* enim participio saepe, ait, exprimi instrumentum quo actio ipsa efficitur, (*oft drückt das Particip das Mittel aus, wodurch die Haupthandlung bewirkt wird*), Winerus: participiis illis, ubi nondum prorsus trita sint, notionem verbi augeri et vim majorem inde nancisci (*ursprünglich involvirt das Participium einen Nachdruck, später mag es sich allerdings abgeschwächt haben*). Aliud profecto est indicare actionis instrumentum, aliud vim addere notioni. Sed locos, quos Winerus huc pertinere judicavit, videamus: *Plato* Lachete pag. 185, D δεῖ ἄρα καὶ τὸν σύμβουλον σκοπεῖν, εἰ ἄρα τεχνικός ἐστιν εἰς ἐκείνου θεραπείαν οὗ ἕνεκα σκοπούμενοι σκοποῦμεν. Ubi nihil dicam de eo, quod Matthiae l. c. lectionem corruptam ratus legendum censet: σκοποῦμεν ἃ σκοποῦμεν uti alibi saepius legitur in Platone. Quinimo ut concedam sana esse verba, ne ita quidem σκοπούμενοι tantummodo ad augendum verbum σκοποῦμεν valebit, sed erit ac si diceret ὅταν σκοπώμεθα vel εἴπερ σκοπούμεθα (conferas, quaeso, quae proxime antecedunt Socratis verba: ὅταν τίς τι ἕνεκά του σκοπῇ, περὶ ἐκείνου ἡ βουλὴ τυγχάνει οὖσα, οὗ ἕνεκα ἐσκόπει) nempe verbum finitum cum οὗ ἕνεκα junges, participium autem interpositum unam per se efficiet sententiam; ita ut participium et verbum ad duas sententias inter sese diversas pro suo quodque sensu pertineant. Quae quidem ratio est aliorum ejus generis locorum e. g. qui e Platonis Alcibiade

affertur I. pag. 107, C. τότε σὺ, ἀνιστάμενος ὡς συμβουλεύσων, ὀρθῶς ἀναστήσῃ. — Sed etiam *Herodotus* citatur, qui V, 95. haec habet: Ἀλκαῖος ὁ ποιητὴς, συμβολῆς γενομένης καὶ νικώντων Ἀθηναίων, αὐτὸς μὲν φεύγων ἐκφεύγει, τὰ δὲ οἱ ὅπλα ἴσχουσιν Ἀθηναῖοι, καί σφεα ἀνεκρέμασαν πρὸς τὸ Ἀθήναιον τὸ ἐν Σιγείῳ. Quid hic, obsecro, φεύγων ἐκφεύγει, verbum simplex et verbum compositum? Sua cuique tribuenda significatio, altera ab altera diversa. Alcaeus, quum Athenienses hostes in pugna superiores evaderent, in fugam se convertit, eaque fuga (φεύγων) vitam quidem servat (αὐτὸς μὲν ἐκφεύγει) arma autem abjicit, quorum potiuntur Athenienses. Simillimum Herodoteo dicto habes versum ex Euripidis Phoenissis 1231 (1216 Matth.) Iocasta ibi, quum nuntium infausta scire animadvertisset, ut sibi renuntiaret omnia postulaverat, cui nuntius οὐκ ἄν γε λέξαιμ' ἐπ' ἀγαθοῖσι σοῖς κακά. Tum Regina: ἦν μή με φεύγων ἐκφύγῃς πρὸς αἰθέρα (Scholion: λέξεις δηλονότι). *Dices*, inquit, *et dicere cogeris, nisi forte fugiens me, ut fugis, ad aethera usque avolaveris, atque ita demum meum imperium effugeris.* Duae igitur et in Herodoti verbis sententiae, una participii, altera verbi finiti. Quibus quid e versione Alexandrina conferam, nescio praeter illud πτύων ἐνέπτυσεν et fortassis etiam quod Exod. XXIII, 4. legitur ἀποστρέψας ἀποδώσεις αὐτῷ. Cum reliquis, in quibus participium modo vim verbi auget et notionem amplificat, nihil Herodoteo loco commune est. — Commemoratur insuper a Winero formula, quam solemnem (*stehend*) perhibet esse, ἰδὼν εἶδον. Ea

quidem quantum potui explorare unico *Luciani* loco legitur, dialogo Menelai et Protei sub finem. Unde primus Pfochenius (de quo Winer. pag. 14) *diatribe de linguae Gr. N. T. puritate* eam protulerat; cui Thomas Gatakerus, vir adversario longe doctior (*dissertatione de Novi Instr. stylo*) satis respondit, inde Graecis eum loquendi usum, quem Hebraismum habemus apud LXX et in Novo T., vindicari non posse.

Sed in his quidem, quae Kühnerus post Winerum (a. 1835) l. c. protulit, aliquid nostrae rei aptum deprehendere tibi videaris, illud *Herodoti* VII, 10, 1. τὴν ἀμείνω γνώμην αἱρεόμενον ἑλέσθαι. At et hunc locum eodem se habere modo, quo ille Platonis, agnosces, modo totum inspexeris. Ubi Xerxes rex sententiam declaravit, neque ullus ex his qui aderant ei contrariam ferre ausus, Mardonius autem solus eam mitigare conatus est (ἐπιλεήνας), Artabanus regis patruus ita est orsus: ὦ βασιλεῦ, μὴ λεχθεισέων μὲν γνωμέων ἀντιέων ἀλλήλῃσι, οὐκ ἔστι τὴν ἀμείνω αἱρεόμενον ἑλέσθαι, ἀλλὰ δεῖ τῇ εἰρημένῃ χρῆσθαι· λεχθεισέων δὲ ἔστι. Quae, si quid video, in hunc sensum dicta sunt: *nisi sententiae plures inter sese pugnantes propositae fuerint, ne optio quidem data est eligendi, ut eligendo unam e pluribus* (αἱρεόμενον) *optimam possis amplexari* (ἑλέσθαι), *sed necesse est, eam, quae sola proposita est, nullo delectu habito* (*non* αἱρεόμενον) *sequare.* Atque ita alia quoque hoc modo dicta comparata cognosces, ut verbum in participio absolute, sine objecto positum sit, verbum finitum suum regat objectum. Unde diversus

utrique sensus, separata utriusque sententia, nulla vero amplificatio, qua verbi notio tantum augeatur.

Peculiare igitur τῶν ἑβδομήκοντα, et recens ab iis inventum, quo Hebraicum illud idioma imitarentur, censemus hoc dicendi genus, de quo *Adrianus* (εἰσαγώγῃ εἰς τὰς ἱερὰς γραφάς pag. 20. ed. Höschel.) κατ' ἐπίτασιν, inquit τὸ αὐτὸ λέγει· (Scripturâ Sacra) ὡς τὸ παιδεύων ἐπαίδευσέ με ὁ Κύριος καὶ ὑπομένων ὑπέμεινά τὸν Κύριον, καὶ ἢ μὴν εὐλογῶν εὐλόγησω σε.

Atque hic modus amplificandi verba τοῖς ὁ ita usitatus fiebat, ut eo vel iis locis uterentur, ubi in textu originali *verba simplicia* proposita habebant. Sic σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν הִמָּלֵט עַל־נַפְשֶׁךָ Gen. XIX, 17. ἀναπληρῶν ἀναπληρώσω Exod. XXIII, 26. (ubi Alex. participium omittit).

B. Sequitur ut de altero genere dicamus, cujus est ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Nam ita quoque, per *substantivum* verbo appositum, LXX Hebraicum infin. absol. cum verbo finito conjunctum saepissime imitati sunt. Neque id equidem e Graecorum usu fieri potuisse negaverim. Complures autem sunt etiam hujus generis species. Quarum prima, quae in Novum T. translata est, eaque frequentissima, ut substantiva quibus significatio significationi verbi congrua in *dativo* praeponantur. Eaque alibi sunt *verbalia* ab eodem illo verbo derivata: ἀποδόσει ἀποδώσεις Deut. XXIV, 13. ἀποστροφῇ ἀποστρέψω ib. XXXI, 18. ὑπεροράσει ὑπεριδοῦσα Num. XXII, 29. ἐπισκοπῇ ἐπέσκεμμαι Exod. III, 16. ἐκβολῇ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς ib. XI, 1. οἰωνισμῷ οἰωνίζεται Gen. XLIV, 5.

ἐὰν διαχύσει διαχέηται Lev. XIII. 22. διαχύσει οὐ διαχεῖται ib. XIV, 48. μιάνσει μιανεῖ ib. XIII, 44. ἀπωλείᾳ ἀπολεῖσθε Deut. IV, 26. ἀφανισμῷ ἀφανιεῖς αὐτοὺς ib. VII, 2. προσοχθίσματι προσοχθιεῖς καὶ βδελύγματι βδελύξῃ ib. v. 26. Denique: ἀλοιφῇ ἐξαλείψω τὸ μνημόσυναν Ἀμαλήκ Exod. XVII, 14. et διαμαρτυρίᾳ μεμαρτύρηται, Gen. XLIII, 1. ἐὰν ἀκοῇ ἀκούσητε Deut. XI, 22. et — εἰσακούσητε ib. XV, 5.

Alibi substantiva non derivata a verbis sed iis *affinia* et sensu et origine: λύτροις λυτρωθήσεται τὰ πρωτότοκα Num. XVIII, 15. θανάτῳ ἀποθανοῦνται ib. XXVI, 65. θανάτῳ θανατούσθω ib. XXXV, 8. 21. μνείᾳ μνησθήσῃ Deut. VII, 18. ἐὰν λήθῃ ἐπιλάθῃ Κυρίου ibid. VIII, 19. λίθοις λιθοβοληθήσηται Exod. XXI, 28. φερνῇ φερνιεῖ αὐτὴν ib. XXII, 16. et cett.

Alibi substantiva significationis cognatae, *originis* ab origine verbi *diversae*:

θανάτῳ ἀποκτενεῖτε αὐτόν Exod. XXII, 19. *) θανάτῳ τελευτήσει ibid. XIX, 12. cf. XXI, 17. ἀπόκτεινόν με ἀναιρέσει Num. XI, 15. ἀπὸ παντὸς ξύλου βρώσει φαγῇ Gen. II, 16. (at Lev. VII, 14. εἰς βρῶσιν οὐ βρωθήσεται). Haec verba non secus ac si sola essent posita suum objectum habere possunt.

Praeterea erant loci, ubi verbo substantivum cognatum adjici poterat in *accusativo*. Constructio inde oritur nonnumquam facilis et elegans, apposito insuper alterius objecti vel appositionis accusativo: ἐὰν δὲ ἐνεχύρασμα ἐνεχυράσῃς τὸ ἱμάτιον τοῦ

*) ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ Apoc. II, 23, Win. pag. 283.

πλησίον Exod. XXII, 26. δόμα δώσεις αὐταῖς κατάσχεσιν Num. XXVII, 6. μήποτε ἀνταπόδομα ἀνταποδῷ ἡμῖν πάντα τὰ κακά Gen. L, 15. ἐφόδιον ἐφοδιάσεις αὐτόν Deut. XV, 14. In passivo: ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται Exod. XXI, 22. Sine accusativo secundo dicta: εὐλόγηκας εὐλογίαν Num. XXIII, 11. δάνειον δανειεῖς αὐτῷ Deut. XV, 8. 10. δεκάτην ἀποδεκατώσεις παντὸς γεννήματος ib. XIV, 22.

C. Denique exstant exempla elegantiorum phrasium, qua Hebraismi illius vim assequi student, imitatione minus accurata. ἐπαναστρέφων ἥξω שׁוּב אָשׁוּב Gen. XVIII, 10. θανάτῳ ἔνοχος ἔσται מוֹת יוּמָת ib. XXVII, 11. ἀναβιβάσω σε εἰς τέλος אַעֲלֶךָּ גַּם עָלֹה ibid. XLVI, 4. ἐὰν δὲ θηριάλωτον γένηται Exod. XXII, 13. (h. 12) אִם טָרוֹף יִטָּרֵף ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται כִּי נָאֹה נָאָה ib. XV, 1. 21. φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυποµονήτῳ נָבוֹל תִּבּוֹל ib. XVIII, 18. ἐὰν δὲ ἀποκριθεὶς εἴπῃ וְאִם אָמֹר יֹאמַר ibid. XXI, 5. βολίδι κατατοξευθήσεται יָרֹה יִיָּרֶה ib. XIX, 13. ἐντίμως γὰρ τιμήσω σε כִּי כַבֵּד אֲכַבֶּדְךָּ Num. XXII, 17. δυνατὸς ἔσομαι יָכֹל אוּכַל ib. v. 38.

Animadvertimus autem, nonnunquam a LXX imitationem illius formulae dicendi ita negligi, ut sola verba sine amplificatione ponant: μεμίσθωμαί σε Gen. XXX, 16. εὖ σε ποιήσω ib. XXXII, 12. ἐὰν δὲ κλαπῇ παρ' αὐτοῦ Exod. XXII, 12. (h. 11) ἀποτίσει ib. v. 14.

2. Hebraeis quum sit conjunctionum exiguus numerus et usus arctioribus finibus circumscriptus, participiorum multo minor copia quam Graecis,

latissime iisdem patet usus *infinitivi construoti* cum ל, cum ב, cum aliis praepositionibus et cum conjunctionibus.

Nec vero a Graecorum infinitivo ea vis abest, quae Hebraeorum inest, ac paene omnes constructiones, quae Hebraice infinitivum habent, etiam Graece per infinitivum exprimi poterant, nulla sermonis Graeci lege violata. Quamobrem hoc genus Hebraismos in Pentateucho invenies faciles plerosque et imperfectos. Amplus sane is est, siquidem Hebraismum nuncupare placet, quod infinitivi constructio longe plurimos locos, conjunctionum et participiorum constructiones, quales Hebraeis non sunt, paucissimos obtinent. Id quod etiam in eorum stylo, qui non interpretes agebant sed auctores librorum sacrorum exstiterunt, conspicitur, atque ad simplicitatem et ad archaicum charactera plurimum facit.

Pentateuchi autem interpretes, sicut ubique, in his quoque produnt, se non vocabula vocabulis nedum syllabas syllabis in vertendo substituisse, sed variationis elegantiam quaesivisse (de qua lib. I. §. 14. 16. 17. actum), et libertati versionis sine *κακοζηλίᾳ* indulsisse.

Infinitivum cum ל praefixo non uno modo transferunt:

a) *Primo infinitivum solum* ponunt, qui quidem recte se habet, sive eventum et consequens significat e. g. μάρτυς εἷς οὐ μαρτυρήσει ἐπὶ ψυχὴν ἀποθανεῖν לָמוּת Num. XXXV, 30, sive quo consilio et quem ad finem aliquid fiat *καὶ ἔσονται αὐτοῖς αἱ*

πόλεις, κατοικεῖν לָשֶׁבֶת ibid. v. 3. Recte inquam haec omnia se habent nisi quod animum quo quis venit seu consilium post verba eundi participio futuri exprimere consueverunt Graeci, LXX infinitivum pro infinitivo Hebraico ne ita quidem unquam gravantur ponere, ut in illo: ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέστησαν παίζειν Ex. XXXII, 6.

b) *Secundo* infinitivum *in genitivo*, *cum* τοῦ ponunt. Nec male, quotiescunque de consilio, de eo quod quis spectat agitur. Hic enim et Graecis loquendi mos est, iisque usitatur is infinitivus cum τοῦ, qui per ἕνεκα circumscribi vel per ἵνα exprimi possit. ἡμεῖς εἰσαγόμεθα τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν, τοῦ λαβεῖν ἡμᾶς εἰς παῖδας Gen. XLIII, 18. cf. Lev. XIV, 57.

Jam vero ultra procedere τοὺς ὁ observatum est, et hujusmodi infinitivos longe latiori sensu usurpare quam usurpantur a Graecis. Cujus abusus ansam certe dedit Hebraicus cum ל infinitivus. Cui nihil magis accommodatum poterat excogitari, quam infinitivus cum τοῦ genitivi signo. Quare mirum non est, eum paene totam Hebraici infinitivi provinciam occupasse. Neque enim facilior est in cogitando transitus, quam ab eo quod in actione aliqua consulto spectatur, quoque tenditur, ad id quod ex actione aliqua prodit, quoque pervenitur, a notione consilii inquam et scopi ad notionem eventus. Antiquae linguae utrumque genus accurate discernebant et pro utroque certas habebant conjunctiones, recentiores ea in re negligentiores. Atque ipsa Graeca lingua suum ἵνα, quo antiquitus τελικῶς utebantur, in decursu temporum revera ἐκ-

βατικῶς usurpare addidicit. Eodem igitur modo infin. cum τοῦ in stylo versionis Alexandrinae et Novi Testamenti latius latiusque patere coepit, et eo usque descendit, ut meram ἐπεξήγησεν verbi *) praecedentis contineri videatur, atque ita tandem Hebraico cum ל infinitivo congruus factus est. Egit de his Winerus §. 45, 4, et quam late pateat iste apud LXX usus exposuit. Verum tam remotum a Graecismo infinitivi hujus abusum, qui est in exemplis a Winero ex aliis V. T. libris citatis, in Pentateucho vix inveneris. In eo quidem nihil aequale illi: οὐ μὴ δύνωμαι τοῦ ἐπιστρέψαι, ubi ne epexegetica quidem vis videtur superesse. In Pentateucho autem ea fere ubique videtur esse ratio, ut verbum praecedens non sit auxiliare tantum idque egens solo infinitivo objectivo, sed ut *actionem* significet per se absolutam etsi generalem et *latius patentem;* deinde secundum verbum quod in inf. cum τοῦ apponitur alteram addit actionem magis specialem et *angustiorem*, quae prioris actionis contineat propriam ἐπεξήγησιν, quam interposito ὥστε pro τοῦ possis dilucidam reddere et faciliorem. Cujusmodi haec sunt: ἐὰν δὲ μὴ εἰσακούσητε ἡμῶν τοῦ περιτεμέσθαι Gen. XXXIV, 17. βεβάρηται ἡ καρδία Φαραὼ τοῦ μὴ ἐξαποστεῖλαι τὸν λαόν Exod. VII, 14.

*) Substantivi epexegesin effiecre apud Graecos commode potest v. Matthiae §. 540. Sed nolim cum Winero in explicatione quorundam Novi T. locorum, qui ex usu τῶν ὁ facillimum sensum praebent, ad artificiosiorem illam analysin confugere.

Alia ex his quae Winerus l. c. (pag. 271) secundum classes suas disponenda attulit, ad legitimum Graecorum usum pertinere videntur, e. g. Gen. XXXVII, 18. ἐπονηρεύοντο τοῦ ἀποκτεῖναι αὐτὸν, *mala meditabantur et inter sese agitabant, ut* (ἵνα) *eum interficerent.* Alia e vi propria genitivi explicanda sunt. Gen. XXXVI, 7. ἦν γὰρ αὐτῶν τὰ ὑπάρχοντα πολλὰ τοῦ οἰκεῖν ἅμα h. e. πλείονα τοῦ οἰκεῖν ἅμα, genitivus pendens a notione comparativi, ut in illo: μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με Gen. IV, 13. Utrobique Hebr. מִן cum inf. ubi etiam Gen. XXVII, 1. ἠμβλύνθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ τοῦ ὁρᾶν, ubi περιέργως alii τοῦ μὴ ὁρᾶν, nam idem est ac si diceret ἐστερήθησαν τοῦ ὁρᾶν seu τῆς ὄψεως. — Gen. XXIX, 35. καὶ ἔστη τοῦ τίκτειν *desitit parere*, i. q. ἔληξε τοῦ τοκετοῦ. וַתַּעֲמֹד מִלֶּדֶת. Restant ea exempla, in quibus maxime omnium attenuatam animadverto infinitivi vim: Gen. III, 6. ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι. Exod. IX, 34. προσέθετο τοῦ ἁμαρτάνειν, quamquam προσθεῖναι longe frequentius cum inf. sine τοῦ. — Exod. II, 18. Jethro filiabus: διατί ἐταχύνατε τοῦ παραγενέσθαι σήμερον; לָמָּה מְהַרְתֶּן בֹּא הַיּוֹם *cur hodie tam cito adestis?* *)

*) Monent Grammatici (Kühner. §. 651, 8, b) Graecis hunc infin. praesertim negative usurpari anteposito τοῦ μή. Item in stylo sacro nonnunquam observari possit, pro Hebr. inf. cum ל simplicem infinitivum, pro infin. cum לְבִלְתִּי infinitivum cum τοῦ μὴ poni. Deut. XXIX, 4. οὐκ ἔδωκε Κύριος ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι, καὶ ὀφθαλ-

c) *Tertio* varias elegantesque *circumlocutiones* quaerunt Num. XVIII, 22. λαβεῖν ἁμαρτίαν θανατηφόρον חֵטְא לָמוּת Deut. XX, 19. ἐὰν περικαθίσῃς περὶ πόλιν — εἰς κατάληψιν αὐτῆς לְהִלָּכֶד־בָּהּ.

3. Infinitivum constr. cum בְּ *temporalem* frequentissimum habet textus Hebraicus. Quem in genit. absolutum τοὺς ὁ saepe et interdum dure transtulisse, supra diximus lib. II. §. 15. III. §. 6. n. 8. Passim autem et ipsi infinitivum cum praepositione ἐν et cum articulo adhibent. In quo nihil a Graecitate foret alienum, nisi enunciationes temporales longe frequentius ita exprimerent, quam Graeci quibus participia vel conjunctiones temporales magis sunt in usu. Indicium certe est styli historici Hebraizantis formula καὶ ἐγένετο ἐν τῷ — αὐτόν. cf. Luc. I, 8. Gen. XI, 2.

Infinitivus constructus cum מִן et מִבְּלִי significationem *causalem* habere potest; quem LXX saepius ita vertunt, ut dicant παρὰ τὸ cum infinitivo, i. e. *propterea quod* cett. Graecis παρὰ c. acc. *propter* non inusitatum, sed num cum infinitivo junctum legatur, dubito. Deut. VII, 8. παρὰ τὸ ἀγαπᾶν Κύριον ὑμᾶς — ἐξήγαγεν ὑμᾶς. ib. IX, 28. παρὰ τὸ μὴ δύνασθαι Κύριον εἰσαγαγεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν, ἣν εἶπεν αὐτοῖς, καὶ παρὰ τὸ μισῆσαι αὐτοὺς ἐξήγαγεν αὐτούς. cf. Exod. XIV, 11. παρὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν

μοὺς βλέπειν, καὶ ὦτα ἀκούειν, at Rom. XI, 8. ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν cf. Luc. VIII, 8. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν.

μνήματα ἐν γῇ Αἰγύπτου ἐξήγαγες ἡμᾶς; cf. Gen. XXIX, 20.

4. Wineryus §. 58, 5. Hebraismi facit mentionem qui est in illis προςέθετο πέμψαι et προςέθετε συλλαβεῖν. Ita enim Hebraice passim dicitur וַיֹּסֶף לְשַׁלַּח, quod LXX tantum non ubique ita imitantur. προστίθημι autem modo in activo, modo in medio ponunt, e. g. οὐ προςθήσεσθε ἔτι ἰδεῖν αὐτούς Exod. XIV, 13. at πᾶς Ἰσραὴλ οὐ προςθήσει ποιῆσαι ἔτι Deut. XIII, 11. (12). *Semel* Gen. XXXVIII, 5. a LXX participium προςθεῖσα poni, Winerus addit. Sed quid quod ibid. XXV, 1. προςθέμενος Ἀβραὰμ ἔλαβε γυναῖκα, Job XXIX, 1. προςθεὶς Ἰὼβ εἶπε, quin in ipso Novo T. προςθεὶς εἶπε παραβολήν Luc. XIX, 11.

Elegantior certe haec ratio. Cui simile, quo item adverbialis notio per partic. exprimitur ταχύναντες καταγάγετε τὸν πατέρα μου ὧδε וּמַהַרְתֶּם וְהוֹרַדְתֶּם אֶת־אָבִי Gen. XLV, 13. (Cf. ib. XX, 10. τί ἐνιδὼν ἐποίησας τοῦτο; מָה רָאִיתָ כִּי עָשִׂיתָ ubi ante oculos habuerunt Graecorum formulas: τί μαθὼν, τί παθών;) Gen. XXVI, 13. καὶ ὑψώθη ὁ ἄνθρωπος καὶ προβαίνων μείζων ἐγένετο וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וְגָדֵל. Exod. XIX, 19. ἐγένοντο δὲ αἱ φωναὶ τῆς σάλπιγγος προβαίνουσαι ἰσχυρότεραι σφόδρα הוֹלֵךְ וְחָזֵק מְאֹד. Atque in eodem verbo מְהַר alibi infinitivum Hebraicum imitantur e. g. κατέσπευδε δὲ Φαραὼ καλέσαι Μωϋσῆν Exod. X, 16, alibi adverbio utuntur ib. XII, 33. σπουδῇ ἐκβαλεῖν αὐτούς ne ambo infinitivi concurrerent. Ipsam binorum verborum Hebraicorum para-

taxin (de qua Winer. l. c.) haud scio an in Pentateucho imitati sint.

§. 13.

1. Deinceps paucis commemorandi sunt Hebraismi nonnulli, quos LXX in usu *praepositionum*, *conjunctionum* et *negationum* admiserunt.

De praepositionibus supra egimus, ubi de casibus dicendum erat. Sed restat ex imitatione praepositionis מִן explicanda frequentia particularum ἤ, ὑπὲρ, παρὰ in comparationibus, ubi LXX instar Hebraici usus gradum *positivum* non comparativum posuerunt. Quo facto Hebraicum מִן particulis istis exprimere conveniebat. Nec tantum post adjectiva, sed etiam post verba et participia ἤ ita usurpant, omisso μᾶλλον. Unde explicantur, quae ejusdem modi dictiones habentur in Novo T. Qua de re mihi non est, quod addam his quae a Winero dicta sunt §. 36, 1. 2. nisi, etiam pleonastice τοὺς ὁ talia eloqui: ἔθνη μεγάλα καὶ ἰσχυρότερα μᾶλλον ἢ ὑμεῖς עַצוּמִים מִמֶּךָּ Deut. IX, 1.

Iidem etiam cum elegantia quadam comparativo usi: ὅτι βαρύτερόν μοι ἐστὶ τὸ ῥῆμα τοῦτο Num. XI, 14. כִּי כָבֵד מִמֶּנִּי, παρῳκήσαμεν ἐν Αἰγύπτῳ ἡμέρας πλείους יָמִים רַבִּים ibid. XX, 15. — τὰ παιδία ἀπαλώτερα Gen. XXXIII, 13. κτλ.

Nec vero non legitur ἀπὸ pro מִן, ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ Lev. XXI, 10. (apud Tertullianum comparativus cum *ab* legitur) et ad-

jectivum cum dativo: ib. XXVII, 8. ἐὰν δὲ ταπεινὸς ᾖ τῇ τιμῇ, *si quis fuerit minor censu suo.*

2. Conjunctio εἰ per Hebraismum in juramento negativo elliptico posita sicut אִם ponitur, bis terve in Novo T. (Winer. §. 59. extr.), nec vero saepius ni fallor in integro Pentateucho legitur Deut. I, 35. εἰ ὄψεταί τις τῶν ἀνδρῶν τούτων τὴν γῆν. Num. XIV, 30. εἰ ὑμεῖς εἰςελεύσεσθε, sed ib. v. 23. ἢ μὴν οὐκ ὄψονται τὴν γῆν אִם יִרְאוּ v. 35. ἢ μὴν οὕτω ποιήσω, ubi אִם לֹא. — Etiam indirecte: ὀμεῖται ἢ μὴν μὴ πεπονηρεῦσθαι αὐτόν Exod. XXII, 8. (h. 7.) et Gen. XXVI, 29. διαθησόμεθα μετά σου διαθήκην, μὴ ποιῆσαι μεθ' ἡμῶν κακόν.

3. Negativa formula est Hebraeis peculiaris לֹא־כֹל. Quae ubi vertenda erat, LXX frequenter Graecismum duplicatae negationis οὐκ — οὐδείς adhibuere, a quo etiam praeterea minime abhorrent (καὶ οὐκ ἐπέστησε τὸν νοῦν αὐτοῦ οὐδὲ ἐπὶ τούτῳ Exod. VII, 23. *)) e. g. οὐδὲ ἐκάκωσα οὐδένα αὐτῶν Num. XVI, 15. Sed alibi, praesertim in *praeceptis prohibitivis* veriti non sunt πᾶς — οὐ scribere, plerumque praemisso πᾶς, postposita negatione, etiam Hebraico textu sic habente; quae etsi Graecis sunt insolita, intellectu tamen nequaquam erant obscura, quoniam πᾶς est subjectum, οὐ pertinet ad praedicatum, cui apponitur, monente Winero §. 26, 1. Exempla etiam in Novo T.; apud nostros

*) Triplex est negatio in lectione Alexandrini cod. οὐ μή σε ἀφῇ οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπῃ Deut. XXXI, 6. Vat. οὔτε μὴ — οὔτε μὴ —; similis varietas ib. v. 8.

autem plurima, v. c. Exod. XII, 16. *πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε ἐν αὐταῖς*, cf. ib. v. 43, 48.

Altera Hebraeis formula est לֹא אָזוּר, quam alibi elegantius vertunt, *οὐ κατελείφθη χλωρὸν οὐδέν* Exod. V, 15. *οὐ κατελείφθη ἐξ αὐτῶν οὐδὲ εἷς* ib. XIV, 28; alibi Hebraica verba accuratius effingunt *οὐχ ὑπελείφθη ἀκρὶς μία* ib. X, 19. v. Win. l. c. adn.

§. 14.

1. *Ἀνακολουθίας* non unum genus in superioribus commemoravimus. Omisimus anomalias constructionum Hebraizantes levissimas e. g. *ἐπέθηκεν* (*singul.*) *Ἀαρὼν καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ τὰς χεῖρας* Lev. VIII, 14. Hoc loco de iis tantum in construendo periodas negligentiis nonnihil dicturi sumus, quae ex imitatione constructionum Hebraicum originem duxerunt. Quarum pleraeque ad *παράταξιν* illam pertinent, qua sententiae non per conjunctiones cum modis obliquis, nec per relativa inter se nectuntur, sed in ipso indicativo aut prorsus *ἀσυνδέτως*, aut, quod longe crebrius usu venit, per copulativum *καὶ* altera juxta alteram ponuntur. Quae parataxis simplici elocutionis generi utique convenit, quare et in antiquo Homero passim obtinet atque omnino apud auctores, quibus oratio est valde simplex et propria neque a communi genere dicendi recedens, inveniri potest. Sed omnium latissime patet in lingua Hebraica. Apud Hebraeos enim *Vav* particulae amplissima et multifaria est significatio, quum modo inserviat apodosi ordiendae post protasin relativam vel conditionalem vel

temporalem, modo eas adnectat sententias, quibus nos *ut*, *ne*, alias praefigimus particulas, consilium et effectum significantes, cf. Ewald. §. 618. Atque eandem crebro in adhibenda particula καὶ sibi sumunt potestatem LXX nostri.

Καὶ in *apodosi* ponunt post sententiam *hypotheticam*; exemplum unum vel duo e plurimis: ἐὰν εἰσακούσῃς τὰς ἐντολὰς Κυρίου — καὶ ζήσεσθε καὶ πολλοὶ ἔσεσθε Deut. XXX, 16, ubi ne opineris καὶ — καὶ esse nostrum *et* — *et*, cf. ubi unum καὶ, Num. XV, 14. ἐὰν δὲ προσήλυτος προσγένηται ἐν ὑμῖν — καὶ ποιήσει κάρπωμα — ὃν τρόπον ποιεῖτε ὑμεῖς. cf. ibid. XXXII, 29. 30. Gen. XXXI, 8, XLIV, 29. Sed etiam ipsa conjunctio hypothetica omissa: Num. XIV, 15. καὶ ἐκτρίψεις τὸν λαὸν τοῦτον (id quod facturum se minatus erat Dominus) — καὶ ἐροῦσι τὰ ἔθνη κτλ. Quin sine καὶ per asyndeton: Exod. III, 13. ἐρωτήσουσί με τί ὄνομα αὐτῷ· τί ἐρῶ πρὸς αὐτούς; Major emphasis quam si ἐὰν με ἐρωτήσωσι dixisset, quia certo se futurum ita praevidere innuit. — Gen. XLIV, 4. Josephus oeconomo ἐπιδίωξον ὀπίσω τῶν ἀνθρώπων καὶ καταλήψῃ αὐτοὺς καὶ ἐρεῖς αὐτοῖς.

Καὶ ponunt in *apodosi* sententiae *relativae* e. g. ὃν τρόπον συνέταξε Κύριος τῷ Μωϋσῇ, καὶ ἀπέθηκεν Ἀαρὼν ἐναντίον τοῦ μαρτυρίου εἰς διατήρησιν, Exod. XVI, 34.

Ubi commemorantur cum maxime in narrando actiones, quarum altera alteram excipit, simplicissime apud Hebraeos seritur oratio, verba singula sunt finita, per ו deinceps juncta, obtinet igitur παράταξις. LXX haud raro Graecorum more par-

ticipiis orationem temperant, e. g. οἱ ἐπίλοιποι ἀκούσαντες φοβηθήσονται Deut. XIX, 20. ἐπιστραφεὶς πρὸς Βαλὰκ οὕτω λαλήσεις Num. XXIII, 5. cf. Gen. XXXVII, 7. καὶ Ἀαρὼν προστεθεὶς (scil. πρὸς τὸν ἑαυτοῦ λαόν) ἀποθανέτω ἐκεῖ וַיֶּאֱסַף וַיָּמָת שָׁם Num. XX, 26. cett. cett. Oportebat in hac constructione καὶ copulam excidere, sed et ipsam post ejus generis participia nihilominus illatam in apodosi nonnusquam animadvertimus: καὶ ἐξάραντες ἐξ Ὠβὼθ καὶ παρενέβαλον ἐν Ἀχαλγαί Num. XXI, 11. ἵνα μὴ διώξας ὁ ἀρχιστεύων — καὶ καταλάβῃ αὐτὸν Deut. XIX, 6. cf. Gen. XXX, 1. et XII, 14. Atque adeo prorsus ἀνακολούθως, ἐὰν δὲ ἐξελθὼν εἰς πόλεμον ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς σου (in Alex. ab emendatoris manu ἐξέλθῃς) — καὶ παραδῷ σοι Κύριος κτλ. ib. XXI, 10.

Καὶ ponunt ubi ὥστε desideraveris: μὴ πρόβατα καὶ βόες σφαγήσονται αὐτοῖς, καὶ ἀρκέσει αὐτοῖς; Num. XI, 22. *num tantum mactari poterit pecoris ut iis sufficiat?*

Magis autem offendit si pro ἵνα dicunt καὶ, et καὶ οὐ seu καὶ οὐ μὴ sive οὐδὲ μή pro ἵνα μὴ, quandoquidem Hebraice וְ et וְלֹא erat dictum. Facilius videatur, quod frequentissimum: σύνταξον τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, καὶ δώσουσι τοῖς Λευίταις Num. XXXV, 2. ὁρᾶτε καὶ τὰ σάββατά μου φυλάξεσθε Exod. XXXI, 13. (ubi nihil nisi אַךְ־אֶת־שַׁבְּתֹתַי) et sine copula Exod. XXV extr. ὅρα, ποιήσεις κατὰ τὸν τύπον τὸν δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει, quae ubi recitantur Hebr. VIII, 5. ποιήσῃς legunt multi, constructione ἑλληνικωτέρᾳ. Sed nostris insolentior auribus, clausula „*ne moriantur*“ nonnumquam

παρατακτικῶς apposita Exod. XXX, 20. ὅταν εἰσπορεύωνται εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου νίψονται ὕδατι, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνωσιν, at statim versiculo seq. νίψονται ὕδατι ἵνα μὴ ἀποθάνωσιν. Promittentis est alterum, alterum caventis; in Hebraico utrumque perinde est וְלֹא יָמֻתוּ cf. ibid. XXVIII, extr. ubi καὶ οὐκ et deinde ἵνα μή in uno eodemque versu. Deut. XVIII, 16. οὐ προσθήσομεν ἀκοῦσαι τὴν φωνὴν Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, καὶ τὸ πῦρ τοῦτο τὸ μέγα οὐκ ὀψόμεθα ἔτι, οὐδὲ μὴ ἀποθάνωμεν, ubi Oxon. cod. qui saepius politiorem sectatur sermonem, ἵνα μὴ ἀποθάνωμεν. Altera autem lectio, quae vera est, eum praebet sensum: *atque ita tandem non sumus morituri.* Ibid. XXIII, 14. καὶ ἔσται ἡ παρεμβολή σου ἁγία καὶ οὐκ ὀφθήσεται ἐν σοὶ ἀσχημοσύνη πράγματος καὶ ἀποστρέψει (Κύριος) ἀπὸ σοῦ, ubi postremum καὶ omnino instar Hebraici Vav consequutionem indicat futuram, si quid Dominus in castris viderit. Nostratium more συντακτικῶς Lutherus: *Dass keine Schande in dir gesehen werde und Er sich von dir wende;* Vulgatus: *et nihil in eis appareat foeditatis; ne derelinquat te.* — Non raro minae et commonitiones eundem in modum pronuntiatae, ut alicui videantur ἐπαγγελίαι esse in Lev. e. g. XX, 22.

2. Itaque sententiarum quas nos sententiis vicinis subjicimus atque, ut vulgo dicunt, subordinamus iisque per σύνταξιν arctissime nectimus ac miscemus, earundem coordinatio seu παράταξις quum longe lateque tanquam regnet in Hebraica elocutione, non exiguam in Alexandrina quoque ver-

siene occupavit regionem. Quae quum ita sint, ne id quidem fuerit mirum, quandoque in una eademque sententia *syntaxin misceri et parataxin*, atque ita confundi ut ἀνακόλουθα quaedam evadant. In longioribus praesertim periodis id usu venit, ut a conjunctivis descendatur in indicativos ac si v. c. non praecederet ἵνα μὴ sed καὶ οὐ. Sed cum maxime in sententiis quibusdam hypotheticis LXX nostris orationem libuit variare, quod eo facilius in animum poterant inducere, quum Hebraica lingua, prolixarum periodorum natura sua minus capax, in usu parca, si quas struere audet, coniunctivi indicativique nulla exhibeat discrimina. In his igitur eam interdum Nostrorum negligentior construendi ratio creat molestiam, ut ubi desinat protasis, ubi apodosis ineat, parum intelligatur. Exempla haec habeas:

Deut. VII, 1. 2. ἐὰν δὲ εἰσάγῃ σε Κύριος — καὶ ἐξάρῃ ἔθνη μεγάλα — καὶ παραδώσει αὐτοὺς Κύριος — εἰς τὰς χεῖράς σου, καὶ πατάξεις αὐτούς· ἀφανισμῷ ἀφανιεῖς αὐτούς. Apodosis demum est in verbo ἀφανιεῖς, reliqua debebant pendere ab ἐάν. Neque ibid. XXIV, 1. 4. ἐὰν δέ τις λάβῃ γυναῖκα κτλ. qui sit finis sententiae conditionalis, quod mandati ipsius initium, patet; in Hebr. textu et in Vulg. nulla ejus loci ambiguitas. Ibid. XXX, 1 — 3. καὶ ἔσται ὡς ἂν ἔλθωσιν ἐπί σε πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα, ἡ εὐλογία καὶ ἡ κατάρα — καὶ δέξῃ (potest esse aor. conj.) εἰς τὴν καρδίαν σου — καὶ ἐπιστραφήσῃ (en futura!) ἐπὶ Κύριον — καὶ εἰσακούσῃ τῆς φωνῆς αὐτοῦ — καὶ ἱάσεταί Κύριος τὰς ἁμαρτίας σου, καὶ ἐλεήσει σε καὶ πάλιν συνάξει κτλ. ubi, si quid video,

promissio ipsa et apodosis a verbo ἰάσεται incipi debet, sicut incipit in Vulg. et apud Lutherum.

Alibi e parataxi redeunt ad priorem constructionem: Num. IX, 13. καὶ ἄνθρωπος ὃς ἐὰν καθαρὸς ᾖ, καὶ μακρὰν ἐν τῇ ὁδῷ οὐκ ἔστι, καὶ ὑστερήσῃ ποιῆσαι τὸ πάσχα, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη. Interjicitur ibi sententia absoluta, omnino eum in modum quem Hhâl appellant Arabum grammatici. Cf. Levit. V, 3. 17. Ibid. c. VIII, 5. est καὶ ἰδού וְהִנֵּה cum indicativo pro καὶ ἐὰν cum conjunct. cf. ib. v. 21. cett. et XV, 11. Frequentior est μετάβασις qua ab ἵνα μὴ vel μὴ incipitur, deinde per καὶ οὐ vel καὶ cum indicativo pergitur. Primo dicitur, quid caveatur, ne fiat, deinde, quid sit consecuturum sin istud factum fuerit, παρατακτικῶς additur. Nos utrumque una cautela complectentes a conjunctione prohibitiva utramque enunciationem pendere faceremus, qua de causa iste construendi modus ἀνακολουθίας aliquid continere videtur. Gen. לא XLVII, 19. δὸς σπέρμα ἵνα ζῶμεν καὶ μὴ ἀποθάνωμεν, καὶ ἡ γῆ οὐκ ἐρημωθήσεται ib. III, 22. μήποτε ἐκτείνῃ τὴν χεῖρα αὐτοῦ καὶ λάβῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς καὶ φάγῃ καὶ ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. Deut. XX, 5. πορευέσθω εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, μὴ ἀποθάνῃ ἐν τῷ πολέμῳ καὶ ἕτερος ἐγκαινιεῖ αὐτήν. cf. quaeso v. 6. 7. ib. v. 18. ἵνα μὴ διδάξωσιν ὑμᾶς — τὰ βδελύγματα — καὶ ἁμαρτήσεσθε. cf. XXXI, 28. ib. XV, 9. πρόσεχε σεαυτῷ, μὴ γένηται ῥῆμα κρυπτὸν ἐν τῇ καρδίᾳ σου ἀνόμημα — καὶ πονηρεύσηται ὁ ὀφθαλμός σου τῷ ἀδελφῷ σου τῷ ἐπιδεομένῳ, καὶ οὐ δώσεις αὐτῷ, καὶ καταβοήσονται κατὰ σοῦ πρὸς Κύριον, καὶ ἔσται ἐν

σοὶ ἁμαρτία μεγάλη. v. Lev. X, 6, cf. Marc. IV, 12. Luc. XIV, 8. 9. Act. XVIII, 27.

Pulchra est parataxis sententiae temporalis quasi ἐν παρενθέσει interjectae Deut. XXIX, 22. 23. καὶ ἐροῦσιν ἡ γενεὰ ἡ ἑτέρα οἱ υἱοὶ ὑμῶν — καὶ ὄψονται וְרָאוּ (i. e. ὅταν ἴδωσι) τὰς πληγὰς τῆς γῆς ἐκείνης κτλ. κτλ. — deinde novae parentheses ad plagas describendas, denique v. 24. καὶ ἐροῦσι πάντα τὰ ἔθνη κτλ.; legas totum locum.

Denique non mirum, Interpretes Deut. XI, 2 sqq. per sententias relativas interjectas et longius productas in anantapodoton incidisse, ubi Mosis ipsius oratio impedita (audacius sese expedivit Hieronymus eumque sequens Lutherus). Aliud anacoluthon, quod et ipsum habet textus originalis v. Exod. XVI, 8. Aposiopesin quoque imitati sunt nostri Num. XIV, 27. ἕως τίνος τὴν συναγωγὴν τὴν πονηρὰν ταύτην;

§. 15.

1. Superest, ut obss. nonnullas, minus grammaticas, adjiciamus. In superioribus passim ostendimus, qua libertate οἱ ὁ, a textu orig. recedentes, constructiones variarint, compositis usi sint, participia adhibuerint (cf. Win. p. 288. 289.), syntaxin parataxi miscuerint. Eadem igitur libertate utuntur, ubi occurrebat, quod est idioma Hebr., vocabuli ejusd. ἀσύνδετος *repetitio*. Qua aut distributivae locutiones efficiuntur, aut sensim vel continuo aliquid fieri exprimitur. Eam nostri passim imitati, atque ex ipsis etiam in S. Marci stylum

manasse puto (Win. §. 38, 3. §. 58.) Gen. VI, 19. 20. δύο, δύο cf. VII, 2. Ex. VIII, 14. (10) Θημωνίας, Θημωνίας cf. ibid. XXX, 7. Num. IX, 10. XXXI, 4. Deut. VII, 2. XXVIII, 43. σφόδρα σφόδρα Gen. VII, 12. XXX, 43. Sed pluribus locis repetitionem aut eleganter vitarunt, aut omiserunt. Deut. XVI, 20. XVIII, 8. Num. XXIV, 1. ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτόν Deut. XIV, 22. ἐνιαυτὸν ἐξ ἐνιαυτοῦ ib. XV, 20. ἡμέραν ἐξ ἡμέρας Gen. XXXIX, 10. Alia Ex. XXVI, 3. Num. XXVII, 12. 13. (27. 28.). Distributiva simpliciter omissa Gen. XIV, 10. Deut. II, 27. Ex. XXVIII, 34. Hebraismum et in hoc genere Nostris ab Hebraici textus collatoribus nonnumquam esse obtrusum suspicor. Certe Exod. XXIII, 30. Vat. κατὰ μικρόν, Alex. κατὰ μικρὸν μικρόν. Quamquam repetitio significans, sensim sensimque aliquid fieri et augeri, ne a Graeca quidem lingua videtur esse aliena. Certe πλέον πλέον ex Aristoph. citatur.

2. ***Praesens historicum*** a versione Pentateuchi minime exulat, sed minus frequens est quam in historicis Novi T. libris (Win. §. 41, 2. b). Etenim nihil erat in textu Hebraico, cui praesens historicum accurate responderet. Quo factum ut vix usquam eo uti auderent, praeter duo verba ὁρᾷ et λέγει. In his vero valde adamant: Gen. XXXVII, 29. ἀνοίξασα δὲ ὁρᾷ παιδίον κλαῖον Exod. II, 6. וְהִנֵּה cf. 11. 13. XIV, 10. XXXII, 19. Num. XXII, 31. ib. XXIV, 2. (Luc. XVI, 23. Apoc. XI, 9).— καὶ προςελθοῦσαι λέγουσι Num. XXVII, 1. לֵאמֹר cf. Ex. V, 3. X, 7. XXXII, 17. 18. — Praeterea: ἀπαίρει Gen. XXXIII, 17. καὶ καταλιμπάνει ib. XXXIX, 16.—

Mira sunt praesentia in descriptione Paradisi Gen. II. — Praesens nonnunquam e more Graeco (de quo Winer. §. 41, c, adn.) in sententiis ab ὅτι pendentibus Exod. III, 4. ib. v. 2. cf. Gen. XXXIX, 3.

3. *Indirecta oratio* ab Hebraeis vix brevissima dici solet. Eadem sacris Novi T. scriptoribus consuetudo. LXX bis terve paucula verba ex alterius ore citata reddiderunt indirecta: καὶ τὰ τέκνα, ἃ εἴπατε ἐν διαρπαγῇ ἔσεσθαι (Alex. ἔσονται, Hebr. יִהְיֶה) Num. XIV, 31. φάσκοντες αὐτῶν εἶναι לֵאמֹר לָנוּ Gen. XXVI, 20.

ERRATA.

pag. 5. lin. 23. lege Aristeana
— 15. — 3. — Masorethica
— 27. — 18. — גֹּשֶׁן
— 43. pro §. 6. lege §. 12.
— 108. lin. 3. ab imo lege νίπτεσθαι
— 117. — 5. — — צְדָקָה
— 155. — 8. — — יָמִישׁ.

BIBLIOTHECA BODLEIANA